



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXXVIII. In Titulum XXXVIII. De Jure Patronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

3053 Deducitur 4. quòd, licet Monasterium, vel Ecclesia mutet statum (quia v.g. ex Regulari fit Secularis, aut vice versâ) non idcirco amittat subjectionem vel exemptionem: sed maneat subjecta illi, cui prius fuit; vel exempta, sicut prius, ut docet Joann. Andr. in cit. c. 2. n. 12. & Abbas n. 9. Ex quo inferitur, quòd si Ecclesia non exempta: sed subjecta Episcopo, uniatu Monasterio exempto, maneat subjecta, sicut prius c. ult. de confirm. util. & vice versâ, si Ecclesia exempta, & Romano Pontifici immediatè subjecta, uniatu Ecclesiæ non exemptæ, exemptionem suam non amittat, arg. cit. c. 2. h. t. Sed not. hoc procedere, nisi per unionem transeat plenè in jus alterius, cui unitur, de quo diximus superius, de unione Ecclesiarum.

Deducitur 5. quòd, licet contra exemptionem præteribi possit exemptio, non tamen contra Summum Pontificem *eximentem*. Unde exemptus semper tueri potest se contra præscriptionem sibi oppositam, replicando, non esse completam contra Papam *eximentem*; quo habetur talem præscriptionem repelli allegando jus tertii; sic Abbas in c. *Ad audientiam*, de præscript. n. 12. Unde exemptus non tantum quoad Papam *eximentem*, ut dictum est, sed nec quoad se juri exemptionis renunciare potest, ut decidit Sacra Congregatio Romæ in causa Ulixbon: Monasterii 19. Novembr. 1625. quia præjudicat juri ejus, cui reservata est subjeçtio, sublata Ordinariis.

QUÆSTIO XXXVIII.

IN TITULUM XXXVIII.

DE JURE PATRONATUS.

3055 **C**Um olim jus Patronatus, & jus *Advocatie tutelaris* (quod Beckmannus in jure statuario Ducatus Styriæ, V. *Advocatia*, nominat *Vogteiam*, seu jus *Vogtenticum*) essent jura conjuncta, & in eadem persona residerent; imò, ut notat Fagnanus in c. *cum autem* n. 3. jus Advocatiæ pro jure Patronatus; & hoc, vicissim pro illo, sumeretur: Sub eodem Titulo de utroque in jure Ecclesiastico tractatur. Quoniam verò successu temporis, præsertim in Germania, hæc jura separata sunt, & quandoque jus Patronatus ad unum; *Advocatia* ad alium pertinet, sunt jura inter se distincta, ut rectè notat Pirhing. h. t. n. 40. & Gloss. in c. *Præterea*, eod. V. *Jus Advocationis*.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit jus Patronatus?

3056 **T**Res communiter definitiones juris Patronatus afferri solent, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1298. prima traditur ab Hostiensi in summa tit. de jure patron. in hunc modum, *est potestas nominandi seu presentandi Clericum, promovendum ad beneficium simplex & vacans*. Si displiceat ex eo quòd nimis arctetur ad beneficium simplex; Lessius lib. 2. c. 34. n. 17. sic definit: *est potestas presentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans*. Ponit utraque particulam, (*vacans*) quia, si non vacet, erit irrita presen-

presentatio, utpote contra bonos mores, & præbens occasionem captandæ mortis, c. *Nulla*, de concess. præbendæ: quia tamen neutra explicat, quid quid Patronatus habet, Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 1. sic definit: *Jus Patronatus est beneficium onerosum, & utile, concessum alicui in Ecclesia, ob aliquod ejus meritum, vel obsequium in ipsam collatum.* Dicitur *onerosum*, quia Patroni est Ecclesiam protegere, tuendo dotem, & bona illius; Dicitur (*Utile*) quia Patronus habet præcipuum in Ecclesia locum in sedendo, in supplicationibus, & conventibus publicis, item, si ad summam egestatem devenit, Ecclesia à se fundata bonis sublevari, & sustentari debet: c. *quicumque* 16. q. 7. S. Thomas in 4. dist. 27. q. 3. à 2. ait, *Jus Patronatus, esse potestatem presentandi Clericum ad beneficium Ecclesiasticum.* Hinc volunt aliqui in Ecclesiis, quibus provideretur, non præsentatione formali, sed electione, requiri consensum Patroni in electum per c. *Nobis* 25. h. t. & hunc Patroni consensum, *quasi honestam presentationem*, vocat Lælius Mancinus ad Rubric. de jure Patronat. differat. 9. c. 2. n. 14. & ideo alii dicunt, *presentationem* per Ordinem ad quam, tanquam actum principalem, *Jus Patronatus* definitur, volunt aliam, esse *formalem*, qua præsentatur *institueundus*, aliam *virtualem*, qua præsentatur *confirmandus*, juxta cit. c. *Nobis* 25. h. t.

3057 Quamvis autem Jus Patronatus, juxta multorum opinionem, præter Jus præsentandi, contineat etiam alia, primò *Jus honorificum*, quo Patrono locus honorificus præstari debet in Ecclesia Patronata, juxta dictum c. *Nobis*; secundò *Jus utile*, quo Patrono inopiâ præstio subveniatum est, à dicta Ecclesia per c. *quicumque* 16. q. 7. demum *Jus onerosum*, quia Patroni est, modo præscripto in c. *filiis*, 16. q. 7. Ecclesiam defendere, ne dilapidentur ejus bona: hi tamen loquuntur de Patronatu prout includente *Jus Advocatiæ* more antiquo; nam *Jus onerosum* proprium est prout distincti à Patrono, ut constabit ex dicendis in seq. & colligitur ex c. 6. h. t. Et quamvis Patrono permissum sit, si Sacerdotem, vel Ministrum, aliquid ex collatis rebus præviderit defraudare, aut communitio-

nis honesta conventionione compescere, aut Episcopo, vel Judici corrigendum denuntiare c. *Filiis*, 16. q. 7. hoc tamen est *licentiæ ac permissio*; sed non obligationis; ita Lælius Mancinus ad Rubric. de jure Patronatus. Dissertat. 9. c. 10. n. 8. Bonorum tamen, & fructuum rationem à Clerico pro sua Authoritate reposcere, & cuncta invigilare permittitur, ut si fraudem inveniatur, inventam arguat, atque denuntiet; sic Mancinus loc. cit. n. 13.

Dixi *permittitur*, nimirum *ex beneficio Superioritatis Ecclesiasticæ*; cum Jus Advocatiæ Ecclesiasticæ Laicis sola Ecclesiæ gratiâ concedatur, quæ utique extendi non debet, ultra illius concessionem, quæ non est, ut *jure possit* rationes exigere; sed aliquando ex gratia sibi concessa. Jus autem protectionis, ne bona malè administrantur, bene salvatur sine rationum perceptione; cum in eo tantum stet, ut si videret, vel intelligeret, hoc fieri, moneat Rectorem, vel ad ejus superiorem Ecclesiasticum deferat. Incumbit enim illis vi juris sui duntaxat *salutaris sollicitudo*, si providerent malam administrationem; non autem alia rerum cognitio, ut dicitur cit. c. *Filiis*.

Jus Patronatus communiter dividitur in Ecclesiasticum, Laicum, seu civile, & mixtum. *Ecclesiasticum* est, quod competit alicui Collegio Ecclesiastico, Capitulo vel Clerico, ratione Ecclesiæ, aut quia beneficium *rale* fundatum, vel dotatum est de bonis Ecclesiæ; aut quia illi Ecclesiæ à Laico donatum; ita Vivianus de *Jure Patron. l. 1. c. 1. n. 144.* *Laicum*, seu sæculare, ac civile, quod Laico, ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ cum consensu diocæsani: *Mixtum*, quod ex Patronis Laicis, & Ecclesiasticis coalescit; sic Castropalaus *tr. 13. D. 2. n. 2.* Ex hoc colliges ad dijudicandum, quale sit Jus Patronatus, non esse considerandum *quis possideat?* sed *quo titulo*, nimirum, an ex bonis, & proventibus Ecclesiasticis? an patrimonialibus, vel alio sæculari titulo competentibus? si autem quæras, quando Jus Patronatus coalescit ex Clericis & Laicis, quale sit judicandum, quoad jura & effectus? maximè si ex pluribus duo sint Ecclesiastici, unus Laicus? respondet Castropalaus n. 3. non judicandum Ecclesiasticum, nec Laicum, sed mix-

mixtum. Et ex hoc inferit, beneficium Juris Patronatus *mixti*, non cadere sub reservationem; & semestre concessum Ecclesiasticis ad præsentandum, non competere Patrono Laico. *Not.* præterea, juxta Vivianum de Jure Patron. l. 1. c. 3. à n. 8. Jus Patronatus esse Ecclesiasticum, quando Ecclesiasticus præsentet, *nominatum à Laico*; & *Laicum*, quando Ecclesiasticus præsentat *de consensu Laici*; non autem, si tantum *de consilio*.

ARTICULUS II.

An Jus Patronatus sit Spirituale, vel temporale?

3060 Quidam dixerunt, esse quid merè temporale 1. quia à Laicis possidetur, c. *consultationibus* h. t. 2. quia prescriptioni subjacet c. *querelam*, de Elect. cum alioquin spiritualia præscribi non possint, nec possideri, c. *causam, qua*, de præscript. 3. quia hereditate transmittitur c. 1. & c. *cum seculum*, de Jure Patron. cum tamen nulla successionis ratio sit in spiritualibus c. 1. & 2. de concess. præbendæ: rectius tamen dicitur, esse aliquid *in se*, ac *formaliter temporale*, *annexivè autem spirituale*; Sic Vivianus de jure Patron. l. 1. c. 2. 4. ubi etiam dicit, esse *jus gratiosum*, & communiter regulari, prout alia jura spiritualia, per c. *quanto* 3. de Judic. ubi eloquio Summi Pontificis habetur, jus Patronatus *adeo annexum esse spiritualibus, ut super eo non nisi à Judice Ecclesiastico cognosci possit*, cui manifestè suffragatur, quod jus Patronatus directè emi, vel vendi non possit absque labe, ac vitio Simonia, ut dicemus infra; at, si esset purè temporale, id non contingeret; quia sic emeretur ac venderetur solum temporale. Accedit, quòd directè ordinetur ad institutionem Clerici, tanquam ejus causa, ut dicitur c. *Nobis* h. t. institutio autem est actus jurisdictionis spiritualis, 2. quòd sit initium, & quasi inchoatio negotii spiritualis, intelligendo saltem de initio Ordinis, ut notat Mancinus cit. c. 3. n. 21. Hinc ad rationem simoniae pertinet, quod super eo fuerit civili aliqua pactione contractum, c. *super eo c. præterea*, h. t. & c. *veniens*, de Testibus.

3061 Ad rationes in contrarium, & quidem ad 1. *Re.* non rectè argui *temporalitatem* rei ex eo, quòd à Laico possidea-

tur *ex mera Ecclesia gratia*, & *indulto beneficio*, at sic se habet jus Patronatus à Laico possessum, ut patebit ex seqq. ergo. Ad 2. *Re.* negando, quòd jus Patronatus subjaceat prescriptioni *Laicorum*. Laicus enim non potest præscribere jus Patronatus *contra Ecclesiam liberam*, secus Ecclesiasticus; Iste enim hujus juris *per se* capax est; ille solum per accidens, *ex Ecclesia indulto*. Sic Vivianus cit. l. 1. c. 3. n. 24. neque hoc dicitur in c. *querelam*, de Elect. cum ibi casus propositus inter litigantes, non fuerit inter *Laicum*, & *Ecclesiasticum*; sed inter *Clericos* Ecclesiae S. Agathæ, & *Presbyterum* Ecclesiae S. Salvatoris; quin verbum habeatur de jure Patronatus *prescripto* à populo Ecclesiae S. Salvatoris; quamvis Presbyter electionem suam legitime probaverit exinde, quòd electus sit à populo illius Ecclesiae; qui tunc erat in possessione eligendi Presbyterum ad illam Ecclesiam vacantem; potest autem jus possessionis alicui competere, *sine omni prescriptione*. Neganda etiam venit illa propositio, *quod prescriptioni subjacet, merè temporale est*; nam jus eligendi, jus dicimarum Ecclesiasticarum, jus ferendi censuras, exercendi quosdam actus jurisdictionis Episcopalis, præscribi potest ab Ecclesia, vel Prælato Ecclesiastico contra aliam Ecclesiam, Monasterium, &c. quin propterea tale jus temporale sit. Ad 3. *Re.* similiter non rectè argui, rem aliquam, vel jus esse merè temporale ex eo, *quòd de gratia & mero Ecclesie beneficio* in alium transferri possit; sed quòd jure suo, fundato in titulo merè temporali, prout constabit ex seqq.

ARTICULUS III.

Quibus modis acquiratur Jus Patronatus?

3062 **R**esp. à Doctoribus communiter docti, quòd tribus modis; *fundatione, extructione, & dotatione Ecclesie*; sic Gloss. in c. *pie mentis*. 16. q. 7. Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 4. & alii passim; quod verum est; licet non expresseris te fundare, extruere illo animo c. *nobis* 25. de Jure Patron. quia jus illud ab ipso jure Ecclesiastico conceditur, nisi ipse renunties; excipe tamen Ecclesiam regularem, in quam non acquiritur Jus Patronatus solà *fundatione*, extru-

structione, vel dotatione, nisi etiam accedat consensus Papæ in ipso limine foundationis c. nobis. 25. de Jure Patron. junct. Gl. V. de sua jurisdictione.

3063 Textus jam sæpius citatus, c. Nobis, sic habet: Præterea qualivisti à nobis, an aliquis efficiatur solâ constructione Patronus, vel ad electionem Plebani sit cum Clericis admittendus, seu ab ipsa repellendus omnino, tametsi de longa consuetudine allegaverit, se electioni interesse debere? Nos inquisitioni tuæ tale damus responsum: quòd, si quis Ecclesiam cum assensu diœcesani construxit, ex eo jus Patronatus acquirit. Coeterum in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ: Secus tamen est in Capella, in qua unus Presbyter à Patrono eligitur, & pro institutione habenda, loci Episcopo presentatur. Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur: & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum.

3064 Ex hoc probata manet responsio, quod ex constructione Ecclesiæ, factæ de assensu Episcopi, acquiratur jus Patronatus, prout ex textu communiter deducunt Doctores cum Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 7. Viviano in praxi juris Patronat. p. 1. l. 1. n. 24. Garcia de benefic. p. 5. c. 9. a n. 62. & aliis, ut constat ex ipso quoque textu ibi: si quis Ecclesiam cum assensu diœcesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit.

3065 Circa præsentem materiam not. 1. nos hic non agere de jure Patronatus, in quantum significat jus Advocatorum, qui patrocinium causarum forensium, quæ in judicio agitantur, suscipiunt, de quibus fit mentio L. Rem. 14. §. Patroni C. de Judic. & egimus l. 1. titulo 37. nec etiam de illo, prout significat jus, quòd competit domino manumittenti servum suum pro beneficio datæ libertatis, quo etiam à manumisso (qui tunc Libertus dicitur) licite exigit obedientiam, & operas sibi præstandas, quod introductum est jure civili. Accipitur ergo hic prout explicat jus, seu potestatem exercendi quos-

Tom. III.

dam actus, concessam ab Ecclesia his, qui aliquam Ecclesiam, vel beneficium Ecclesiasticum construxerunt, fundarunt, vel dotarunt, prout exponemus in seqq.

Porro duo sunt actus principales, in ordine ad quos, ea potestas ab Ecclesia conceditur: primus est, actus nominandi, vel presentandi Clericum idoneum, pro beneficio vacante 2. actus defendendi Ecclesiam contra violentas aliorum aggressiones. Potestas ad 1. actum, propriè dicitur jus Patronatus, & Potestas ad 2. jus Advocatæ, & quoniam antiquitus potestas ad utrumque communiter penes unum, idemque subjectum erat, ideo etiam utrumque jus nomine Juris Patronatus veniebat; unde factum est, quòd sub eodem titulo, de Jure Patronatus de utroque agatur sine speciali titulo Juris Advocatæ, quamvis hodie subjecto separentur, ut diximus n. 3055. ubi tamen not. quando in c. Querelam, de Elect. in 6. dicitur electionem & presentationem in jure equiparari, intelligi si fiat presentatio à Clerico (nam tunc habet vim electionis) non autem, si à Laico c. Cum autem, c. Nobis, & c. penult. de Jure Patron.

Quoniam autem dicitur acquiri Jus Patronatus ex eo, quòd quis cum assensu diœcesani construxerit Ecclesiam, not. 2. ut illis tribus modis acquiratur Jus Patronatus, requiri consensum Ordinarii, aliàs non acquirendum c. nobis h. t. ibi: Cum assensu diœcesani, sufficit tamen, si ex post facto interveniat: Barbofa p. 3. de poss. Episcopi alleg. 76. n. 21. & præsumitur intervenisse, ex diuturnitate temporis, fundatione Capellæ cum insignibus & armis, sic Barbofa n. 22. Intelligitur autem hic nomine Ordinarii, seu Diœcesani omnis, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem; hinc Abbas, potens dare facultatem ædificandi Ecclesiam, potest etiam dare consensum, ut exinde nascatur Jus Patronatus; Castropalaus cit. n. 9. Vicarius autem generalis, sicut non habet jus, auctoritatem præstandi ædificandæ Ecclesiæ vi Vicariatus, ita nec servitutem Ecclesiis fundatis imponendi per consensum, ut fundator fiat Patronus, secus, Capitulum sede vacante, sic Castropalaus cit. n. 9.

Not. 3. Illum 1. Ecclesiam fundare, dici, qui dat fundum, vel solum terra, in quo Ecclesia construitur, ut colligitur

Uuuu

ex 5

ex c. *Abbatem*. 18. q. 2. c. *Nobis*. 25. h. t. si autem fundus omnino pereat, vel etiam dos, Jus Patronatus fundatione, vel dotatione natum, etiam perit, & si dos, etiam destructa Ecclesia, maneat, dotori manet Jus Patronatus ex dotatione, licet is, qui noviter construit, etiam acquirat Jus Patronatus ex constructione. *Construere* dicitur, qui Ecclesiam aedificat suis propriis sumptibus. c. *nobis*. cit. ibi; si quis Ecclesiam cum Episcopi consensu construxit, ex eo Jus Patronatus acquirit. Idem est, si quis Ecclesiam dirutam, vel destructam, reaedificet; est enim quasi eam à principio aedificaret; sic Gl. in c. 3. de Jure Patron. ut observat Paulus Berri in praxi criminali Regularium; seu tom. 4. qq. *Regul. Tit. 4. de Visite*. c. 15. n. 66.

3069 *Not. 4.* quod ex fundatione, vel constructione (maximè si perfecta non sit) non prius Jus Patronatus acquiratur, nisi subsequatur dotatio; quia sine hac non est beneficium Ecclesiasticum, nec Ministros habere potest. Dicitur autem *dotare*, qui sufficientes annuos redditus assignat c. *Filiis* 16. q. 7. posita verò dotatione, fundans, construens, & dotans, Patroni sunt, sic Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 6. dixi, *sufficientes*; secus enim non dotator, sed benefactor solum erit.

3070 *Not. 5.* si unus est, qui fundat, construit, & dotat, eum habere Jus Patronatus triplici titulo, si autem alius fundat, alius construit, alius dotat, omnes simul acquirere Jus Patronatus in solidum; ex cit. c. *filii* ibi: *qui construxit, vel dotavit*, si autem plures concurrant ad dotem, esto unus plus, alter minus det, aequaliter habere Jus Patronatus, quia Jus Patronatus est individuum, ex c. 1. h. t. *Nobis visum est, quod Ecclesia inter haeredes Patroni dividi non debeat*; hinc, si non concordent, Episcopus precipere debet, ut ibi Missa non celebrentur, donec ad concordiam redeant, & Ecclesia Canonice sacerdotem habeat, qui liberè suum ministerium valeat exercere, ita textus c. 1.

3071 *Not. 6.* ex Castropalao cit. n. 5. quod Episcopus in Ecclesia aedificanda non debeat consentire, quin prius aedificatorem obliget per publicum instrumentum, ad dotandum c. *Nemo* 9. de Consecr. dist. 1. ibi: *nemo* Ecclesiam aedificet, antequam

Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium designet, & ante praeficiat, qui aedificare vult, quae ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficientiant, & ostensam dotatione, sic domum aedificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiae sancta aqua conspergat: & c. *sicut*, de consecrat. Ecclesiae: ubi Honorius III. scribens ad Reginam Ungariae, sic loquitur: cum, sicut ex relatione Capituli Oradien. nobis innotuit, eorum feceris Ecclesiam consecrari; cum non sit Ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, consecranda: eo liberalius ad dotandum praedictam Ecclesiam aperire manus munificentiae tuae debes, quoad hoc fortius, tanquam ex debito, jam teneris.

Ex hoc habetur, quod, si Ecclesia, absque dote, aedificata sit, consecrari non debeat; sic Gloss. in dict. c. *sicut*, & ad hanc dotem teneri aedificatorem eo ipso, quod Ecclesiam aedificaverit; sin minus, ejus haeredes; & ad hoc compelli posse ab Episcopo; sic Barbosa p. 3. de potest. Episcopi, allegat. 70. n. 4. & 29. Azor p. 2. l. 9. c. 3. q. 7. Episcopum verò, si permiserit Ecclesiam indotatam fundari, construi, & consecrari, compelli ad eam dotandam, juxta Gloss. in dict. c. *Cum sicut*. intellige in eorum defectu.

Not. 7. Probabilius esse, Jus Patronatus etiam illi acquiri, qui Ecclesiam dotat, etiam si, prius indotata, sit consecrata; sic Castropalaus cit. n. 7. Pirhing cit. n. 10. Et quamvis Jus Patronatus sit quaedam servitus, est tamen servitus Ecclesiastica, quae bene potest rebus sacris imponi cum consensu Ordinarii: in quaestione autem, an etiam ex augmento dotis insufficientis nascatur Jus Patronatus? affirmat Azor cit. c. 19. negat Pirhing n. 11. *Not. 8.* probabilior videtur affirmativa ex dict. 3070. quia si plurium collatione dos sufficiens constituitur, omnes in solidum fiunt Patroni, sed juxta dicta n. cit.

Not. 8. Quamvis Glossa in c. *pia memoria*, arbitretur, Jus Patronatus duntaxat ante Ecclesiae consecrationem acquiri posse; contrarium tamen esse probabilius, per Layman lib. 4. tit. 2. c. 13. n. 3. & constat ex priori numero. Hinc (per eundem n. 2.) si intra eandem Parochiam ob habitationum distantiam, cum Autoritate Episcopi construa-

construatur alia Ecclesia minor, quæ majori, tanquam Matrîci, subjecta sit, non solum is, qui Ecclesiam novam construxit, aut dotavit, sed etiam Rector Ecclesie majoris officii, Patronus sit minoris Ecclesie, seu filialis, si etiam Ecclesia matrix minoris suos proventus, quos habuit, reliquit.

3074 *Not. 9.* Jus Patronatus, etiam seculo titulo triplici, de quo hæctenus, acquiri posse ex privilegio per Papam concessio, prout colligitur ex c. *Qui res 2. de Reb. Eccl. alienand.* ubi id prohibetur fieri à Principibus Laicis. Nam Ecclesie imponere *servitorem* (ut loquitur *Trident. Sess. 25. de Reform. c. 9.*) propriè pertinet ad *Pastorem universalem*, cui princeps dispositio circa Ecclesias competit; reliquis, juxta concessam facultatem.

Quia tamen per *Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. 9.* ejusmodi privilegium sublatum est, censent aliqui, si Pontifex rursus alicui concederet, addendam esse clausulam cum derogatione expressâ hujus Decreti Conciliaris: Sed hoc necessarium non est, ut dixi *lib. 1. tit. 2. de constitut.* Cum in omnibus Decretis, *salvâ semper esse Sedis Apostolicæ Auctoritatem*, dicat ipsum Concilium *Sess. 25. c. 21.* ubi Barbofa n. 1. cum Gonzalez ad 8. *Regul. Cancellaria Gloss. 6. n. 120.* cum multis aliis tradit, *pro derogatione Decretorum hujus Concilii sufficere clausulam generalem* (non obstantibus constitutionibus Apostolicis) plus affirmat Vivianus *l. 1. c. 8. n. 24.* dicens: Jus Patronatus ex privilegio Episcopi acquiri posse ab Ecclesiastico; non autem à Laico. Ex hoc:

3075 *Not. 10.* Jus Patronatus Ecclesie non libera, & quæ aliàs habuit Patronos ab Ecclesiasticis posse acquiri legitimâ præscriptione, per tempus immemorabile; vel saltem quadraginta annos, sine titulo, ut not. Castropalaus cit. *p. 2. à n. 12.* si autem constet, *Ecclesiam esse liberam*, præscriptionem non currere, ita Zoësius de jure Patron *8. §. Et hæc.* Laicus autem non potest præscribere jus Patronatus contra Ecclesiam liberam; Ecclesiasticus enim hujus juris *per se* capax est; ille solum *ex Ecclesia indulto*; Vivianus cit. Laicus enim incapax est, sine speciali Ecclesie indulto, ut jus etiam *annexivè* spi-

Tom. III.

rituale possideat, præscriptio autem sine possessione non procedit.

Not. 11. quod si quis in alieno fundo Ecclesiam, aut invito domino, jus Patronatus non acquiratur domino fundi, sed conductori. Ille tamen, Ecclesiam sic ædificatam, antequam consecrata sit, Conductore inscio, vel invito, propria Authoritate destruere potest. *c. 1. & 2. de novi operis nuntiat.* Pirhing de Jure Patron. 11. n. 13. Nec obstat, omne, quod inædificatur, solo cedere, juxta *L. adeo 7. §. cum in suo ff. de acquir. rer. domin.* Nam in hoc casu particulari lex illa, ob Religionis favorem locum non habet; sic Canisius in *c. quoniam 3. h. t. n. 4.*

Not. 12. Similiter dominum feudi posse etiam invito Vasallo, in fundo feudali Ecclesiam construere, cum eo etiam invito alienare possit; sed eo casu æstimationem fundi præstandam esse Vasallo, vel aliud feudum æquivalens, quod non permillum est Vasallo, *c. unic. l. 2. feud. tit. 9. & c. unico §. habito tit. 55.*

Not. 13. si Parochus, vel alius Clericus ex fructibus sui beneficii Ecclesiam, vel Capellam ædificet, acquirere quidem in illa Jus Patronatus ad dies vitæ; Sed post mortem ejus pertinere ad Ecclesiam, consequenter ad ejus successorem in illa, si Collegiata non sit; si autem Collegiata sit, ad Collegium *c. relatum 12. de Testam.*

ARTICULUS IV.

Quibus competere possit Jus Patronatus?

ANte resolut. not. ad quæstionem, an fundanti, construenti, vel dotanti Ecclesiam, *ex debito competat* jus Patronatus, prout debitum, excludit concessionem merè beneficam, & gratiosam? responderi negative, ut constat ex *c. Quoniam 3. h. t. ibi: in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit.* Nam Laici non sunt capaces juris spiritualis, nisi ex concessione Ecclesie. *c. Tua 25. de decimis ibi: cum Laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, qua divina constitutione debentur;* ergo dum illud

Uuuu 2

illud habent Laici, cum sit jus spirituale, est solum ex concessione, & beneficio Ecclesie. Et hæc sententia est communis. Unde Fagnanus in c. *Quoniam* de Jure Patron. n. 4. ex fundatione, vel dotatione, inquit, non acquiritur Jus Patronatus *mero jure*; sed *ex gratia*, & concessione Ecclesie: idem constat ex c. *si quis* Episcoporum. 16. q. 5. ibi: *hæc gratia reservetur*. Idem docet cum communi Pirhing *h. t. n. 40.* dicens: Utrumque enim jus (tam Patronatus, quam Advocatiæ) *non ex debito, sed ex gratia* illis ab Ecclesia est concessum, quamvis Patronus *in ipsa fundatione* (non autem post) cum consensu Episcopi (non autem sine illo) possit honestam conditionem apponere, qua sibi aliquod reservet v. g. aliquam moderatam recognitionem annuam &c. c. *Cum dilectus* 8. de Consuet. Nam Patronus, quidquid juris habet in Ecclesia, totum ex gratia procedit, & de gratia speciali toleratur; sic Fagnanus *cit. n. 7.* his præmissis, ad quæstionem propositam:

3079 *Re.* Jus Patronatus de gratia Ecclesie posse competere tam Clericis, quam Laicis, etiam foeminis, ut colligitur ex c. *si de concess. prabend.* ibi: *cum dilecta in Christo Filia, Comitissa Flandren. fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet Patronatus.* Et quamvis in Canonibus (ut notavimus) dicatur in masculino, *si quis* Ecclesiam fundet, construat, vel dotet, ei concedi Jus Patronatus: hoc tamen vocabulo *si quis*, etiam comprehenditur *si qua*, ut ait Gl. in c. *generali* 13. V. *universos*, de Elect. in 6. nam Masculinum continet etiam Fœmininum juxta Gl. in Clement. 1. V. *homines*, de Elect. nisi subjecta materia aliud suadeat, qualiter fit in feudis, in quibus foemina sub masculino genere non continentur, propter naturam feudi; quibus positis:

3080 Quæstio est 1. an etiam impuberibus possit competere jus Patronatus? *Re.* quod sic, ita tamen, ut si sint infra 7. annos, eorum nomine presentet Tutor; si vero sint majores septennio, sed nondum puberes, similiter presentet tutor, si tamen pupillus sine Autoritate Tutoris presentat, presentatio valet; si autem sit pubes, sed minor, non valet presentatio Curatoris, sed minoris; ita Pirhing. de Jure Patron. n. 18. Si filius familias

sit Patronus, presentatio ad ipsum spectat, non ad Patrem; quia in spiritualibus, & quasi, non attenditur patria potestas; sic Garcia p. 5. c. 9. Hinc not. etiam illegitimis, imò & impuriis posse competere Jus Patronatus c. *pie* cum seq. c. filiis 16. q. 7. non autem Judæo, aut pagano, seu infideli gl. in c. *Frigentius* V. qui Christianis. 16. q. 7. & patet quia c. *pie*, & c. *quicumque fidelium* ead. expressè loquitur de fidelibus, & hominibus Christianis.

Quæstio est 2. an hoc jus competere possit hæretico? *Re.* quod non, sic Abbas in c. *Nobis* 25. h. t. n. 3. Hinc, si Patronus in hæresim lapsus presentavit, alia presentatio fieri debet; si tamen ad fidem revertatur, recuperat Jus Patronatus, nisi per sententiam sit privatus, ac hæresis damnatus; tunc enim omnia ejus bona ad Fiscum cadunt V. c. *didicimus* 24. q. 1. & gl. in c. *maximum* 1. q. 7. V. *dignitate*. Si autem Patronus incidat in excommunicationem majorem, per hoc non privatur Jure Patronatus; sed tantum ejus usu, sed intellige, si vitandus sit, non autem si toleratus, & ejus presentationem velit admittere Episcopus. Hinc presentatio facta ab excommunicato vitando, invalida est.

Quæstio est 3. an, si Jus Patronatus annexum sit bonis, ab Uxore marito datis in dotem, jus presentandi pertineat ad Maritum? Negat Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 16. Sed oppositum tenet Layman. l. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18. Zoësius de Jure Patron. n. 36. quia penes maritum non solum sunt fructus, sed etiam dominium rerum dotalium, saltè *civile* L. 9. C. de rei vindic. & L. *cum dotem* 10. C. de jure dotium. Unde, licet dicatur, verum & *naturale* dominium rerum dotalium manere penes Uxorem, ergo etiam Jus Patronatus illis annexum. *Re.* cum universitate bonorum transeunte in alium, transire etiam accessorie Jus Patronatus. Quare dato ante N. cons. quia in dato casti dominium civile rerum dotalium transit in Virum, ergo & id, quod eis annexum est.

ARTICULUS V.

Ad quid se extendat Jus Patronatus?

R Esp. primum, & principale actum, ad quem extendit se Jus Patronatus, (ur

(ut distinctum à Jure Advocatiæ) esse actum presentandi Clericum in Ecclesia Patronata insinuendum in illa, juxta limitationes in sequentibus subnectendas. Quod illi competat actus presentandi, est communis doctrina; de aliis autem actibus (præter jus honorificum, de quo dictum est n. & utile, de quon. 3056.) multum dubitatur spectato jure communi, prout ab Ecclesia concedi solet Jus Patronatus; etsi quandoque per accidens, indulto speciali, aliquid amplius concedatur. Hinc

3084 Quæstio est r. an Patronus Ecclesiæ Conventualis, vel Collegiata habeat jus eligendi Prælatum, pro tali Ecclesia vacante. Ad hoc respondetur in c. Nobis 25. h. t. §. Cæterum, ibi: coeterum in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciende, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractanda. Secus tamen est in Capella, in qua unus Presbyter à Patrono eligitur, & pro institutione habenda loci Episcopo presentatur. Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processions Fundatori servatur: & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum. Nam ex hoc textu deducitur r. etsi aliàs Jus Patronatus acquiratur, si cum consensu Episcopi Ecclesia construatur, tamen id, quoad jus eligendi, aut interessendi electioni, vel etiam presentandi, non procedat in Ecclesiis Collegiatis, vel Conventualibus; quamvis post electionem postuletur ejus assensus.

3085 Et ideo ex dict. §. Cæterum, notatur, quòd Jus Patronatus in Ecclesia Conventuali, fundari non potest cum solo consensu Episcopi, sed est necessarium privilegium Apostolicum in limine foundationis, etiam ad effectum presentationis, ut docent in præfenti Hostiensis, & Aloysius Riccius in Collect. decis. p. 5. collect. 1486. quod tamen accipe, si Jus Patronatus esset servatum in tota Ecclesia. Nam si sermo sit de Jure Patronatus in altari talis Ecclesiæ Regularis, sufficit consensus Episcopi, ut colligitur ex textu in c. Nobis ibi: secus tamen est in Capella &c.

3086 Quando autem in eodem c. dicitur, jus Patronatus acquiri ex constructione Ecclesiæ, intelligi debet, de facta voluntarie, non, necessario v. g. in poenam, vel

ex debito justitiæ, ut, si Creditor, cui Titius debet complura millia, hoc debitum cedat, donec, aut legat alicui Monasterio, vel Collegio, & Titius in solutionem debiti, illis adificet Ecclesiam, aliàs vix habituris debiti solutionem; Sic Lambertin. in tr. de Jure Patron. p. 1. l. 1. q. 4. 47. Rota decisio. 167. n. 5. & 6. p. 2. divers; sic enim est ex debito, cui non competit gratitudo, in qua fundatur Ecclesiæ concessio illius juris.

An autem in Altari jam constructo antecederet ab alio, fundari possit nova Capellania, & in ea reservari Jus Patronatus fundatori? dubitari potest, nam eo casu fundatori Capellaniæ non competit titulus foundationis, constructionis, aut dotationis, ex quo nascitur de gratiosa Ecclesiæ dispositione Jus Patronatus. Affirmativè tamen respondet Lambertinus cit. q. 5. 4 15. & q. 6. 4 1. apud Barbosa in dict. c. Nobis n. 2. ubi etiam refert, sic esse decisum à Rota in causa Gerundin. 22. April. 1622. Nam tali casu in eo Altari constituitur beneficium, si Capellania sit Ecclesiastica, & perpetua, fundator autem beneficii potest in illo, de consensu Ordinarii, obtinere Jus Patronatus.

Dubitari etiam potest, an ex lapsu temporis rectè præsumatur consensus Ordinarii? R. pro affirmativa plures Rotæ decisiones stare in casu, quo constat de ædificatione Capellæ cum insignibus, & armis, ac Superioris visitatione. Requiritur autem aliqui ad hoc, tempus annorum triginta; aliis sententibus sufficere decennium, quòd hic agatur de favore Ecclesiæ in eo sito, ne coeteroquin supprimatur beneficium ex defectu consensus Ordinarii, & agatur de modico præjudicio, præsertim cum consensus Episcopi possit intervenire ex postfacto per c. nullus, h. t. &c. cum Ecclesia reperitur ædificata, intervenisse præsumatur; sic Garcia de benefic. p. 5. c. 9. n. 73. Menochius l. 6. præsumpt. 79. à n. 1.

Difficultas est, an huic præsumptioni sit locus in casu, quo requiritur Privilegium Apostolicum, qualiter id exigi diximus ad obtinendum Patronatum in Ecclesia Conventuali? affirmativam sequuntur aliqui, dicentes, eod. modo præsumi intervenire, quando ultra antiquitatem temporis

poris concurrat observantia presentationum; ita sentire videtur Farinacius in Collect. novissimarum decif. n. 2. sed obstat videtur textus in dict. c. *Nobis*, ibi: *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ; ubi Gloss. *nisi doceat hoc specialiter in fundatione*; & ideo, quod consensus Summi Pontificis non præsumatur intervenisse, etiam per longum tempus in fundatione Ecclesiæ, super Conditionibus appositis in ipsa fundatione, tradit Mascardus de *probat. conclus. 416. à n. 4. Rot. decif. 563.* apud Farinacium *loc. cit.*

3090 Quia verò in c. *Nobis* (relato sup.) dicitur, quod, quamvis Patronus in Ecclesia Conventuali electioni Prælati interesse non possit, tamen *postuletur ejus assensus*, ut etiam notat Gloss. ibid. V. *Honestius* dubitatur, an hoc solum sit ex decencia, & honestate, ad effectum scilicet, ut electionem factam approbet, & laudet, manente tamen electionis validitate, quantumcunque recusaverit? vel an secus? Glossa V. *Honestius*, videtur velle de necessitate præcisa, fore postulandum assensum Patroni, ita ut sine illo non confirmetur electio, id, quod etiam tenet in c. *de hoc*, de Simon. V. *Princeps*; & sequitur ibidem Hostiensis relatus à Zabarella in præsent. q. 3.

3091 Sed, negandum est, dictum consensum requiri de necessitate, seu ad valorem electionis, etiam confirmabilis. Ratio sumitur ex ipso textu, ubi dicitur: *sed jam facta honestius postuletur assensus Prælati*. Nam, etsi honestius sit, postulare à Patrono, ut electioni jam factæ assensum præstet; non tamen negatur, *honestè fieri, si non petatur*; sic autem certum est, postulationem assensus, vel ipsum assensum Patroni, non esse de substantia electionis etiam confirmabilis. Hinc ex eo, quod in c. *Commissum* 16. de sponsal. dicatur, *zuzius esse*; non tamen negatur, oppositum *feri rite*. Consensus igitur, ut rectè notat Lambertinus l. 2. p. 1. q. 5. a. 2. n. 9. solum postulatur in obsequium, & reverentiam Patroni ad illum tantum effectum, ut coram dioecesano, si aliqua sciat, opponat, quæ de jure debeant impedire confirmationem; alias enim data confirmatione sine requisito consensu, vel illo non dato, permanet ipsa in sua firmitate, sic ille.

3092 Quæstio altera est, an Jus Patronatus,

ut distinctum à Jure Advocatiæ extendat sese ad auctus *instituenti*, & *destituendi Clericos in suis Ecclesiis*? Cum enim quidam Laici, Episcoporum Autoritate neglecta, Clericos *instituerent* in Ecclesiis, & *removerent*, cum voluerint, & bona Ecclesiastica pro sua voluntate plerumque distribuerent, decrevit Pontifex: *illos anathemate feriendos*, Clericum autem, qui Ecclesiam per Laicos, sine Episcopi Autoritate, receperit, jubet communione privari; & si perfliterit, Ministerio & Ordine deponi; sic Alexander III. in c. *Præterea* 4. h. 2. quod desumptum est ex *Concil. Lateran. sub eod.*

Ex hac decisione Pontificia deducitur, quod Patronus, sive Laicus, sive Ecclesiasticus, non consequatur *jus instituenti, vel destituendi*, sed solum *jus præsentandi*, alias enim non esset, si secus agat, *anathemate feriendus*, ut ait textus. Hinc etiam Clericus, qui à Laico in beneficio est institutus, seu investitus, sine Ordinarii Autoritate, si postea Canonicam institutionem impetrare velit, *vitium intrusionis* in supplicatione exprimere debet; cum per hoc factus sit inhabilis ad beneficium, ad quod intrusus est; Abbas in cit. c. *Præterea*, de Jure Patron. n. 2. imò talis eo ipso nec ad aliud beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam promoveri potest, c. *quisquis* 43. de Elect. junctâ gloss. *fin.* & c. *si quis* 16. q. 7. c. *relatum* 21. de Jure Patron. Trid. Sess. 14. de reform. c. 13.

Quæstio 3. est, an Patroni Ecclesiarum possint bona illarum arbitratu suo distribuere? R. negativè ex cit. c. *Præterea*, ubi etiam additur, eos post monitionem canonicam excommunicandos esse, quia Laici nullam habent potestatem disponendi de rebus Ecclesiasticis c. 2. de Judiciis ubi ab Eugenio 2. statutum est 1. ut Laici *Ecclesiastica negotia tractare non præsumant*, 2. ut Prælati Ecclesiarum non disponant de negotiis Ecclesiasticis, *præsertim* spiritualibus, *judicio Laicorum*; 3. ut *propter eorum prohibitionem* non omitant exercere justitiam Ecclesiasticam, Ubi adverte, quod, dum hoc loco Laicis prohibetur tractare negotia Ecclesiastica, non intelligenda sint *sola purè spiritualia*; sed etiam alia non spiritualia, & civilia, *quæ concernunt Ecclesias, & personas* atque

atque bona Ecclesiastica; cum expressè dicat: de negotiis Ecclesiasticis, *presertim spiritualibus*, ubi particula *presertim* implicat, seu includit alias personas, & casus, ut notat Barbosa de dictionibus V. *presertim* n. 3. & dum explicat casum minus dubitabilem, implicat magis dubitabilem.

3095 Ex hoc sequitur, quòd Laici, Ecclesias possessionibus suis spoliantes, ut sic Viros Ecclesiasticos coram Judice seculari faciant litigare, si moniti non desistant, ab Ordinariis sint excommunicandi, quousque desiterint, & satisfecerint c. *conquestus* de for. comper. junct. gl. *fin.* imò vi Trid. Sess. 22. de reform. c. 11. ipso jure communicati sint, qui præsumpserint impedire, ne bona, jura, & jurisdictiones Ecclesiarum, vel aliorum locorum piorum ad eos perveniant, ad quos de jure pertinent, & si Patronus, vel Advocatus Ecclesie ita delinquat, eum (ultra prædictam poenam excommunicationis, quæ Papæ reservatur) *etiam jure Patronatus, vel Advocatie, ipso jure, privatum esse.*

3096 Nec obstat, quòd aliqui dicunt, per concordata Germaniæ cum Eugenio 4. haberi, quòd in Germania Ecclesiastica censura tam à jure, quam ab homine, quomodolibet promulgata, seu inflictæ, promulgandæ quoque, seu infligendæ, ab ipso Eugenio annullentur, nulliusque esse roboris, vel momenti esse decernantur. Nam hæc *mutatè* dicuntur pro quo not. quòd durante Concilio Basiliensi variæ scissiones fuerint, nec in vero Ecclesiæ capite omnes convenerint, quibusdam adhærentibus huic, aliis alteri Papæ. Hinc variæ beneficiorum collationes factæ sunt etiam à Papa non legitimo, & lata censura, quibusdam dissentientibus ab Eugenio, Papa legitimo, iis scilicet, qui Basileæ sub nomine Concilii generalis remanserunt; Principibus Germaniæ ob secutam dissensionem neutralibus &c. Quare Eugenijs Papa legitimus, datâ Bulla 1447. incip. *inter cætera desideria* (quæ est ejus constitutio 29. & ultima in tom. 1. bullarii) declaravit, quòd omnes censuras Ecclesiasticas, durante illâ neutralitate, *propter prædictas dissensiones promulgatas, vel inflictas, & promulgandas, seu infligendas* contra illos, qui ad obe-

dientiam legitimi Papæ reversi sunt, aut intra proximum tempus revertentur, annullent, & irritas esse velit; quæ dispositio est valde limitata, nec quidquam adversariis favet; cum loquantur expressè de censuris latis & ferendis, promulgatis & promulgandis *propter prædicta.*

Quæstio est 4. an Patroni, vel Advoca- 3097
cati Ecclesiarum in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum ex beneficiis eorum Patronatui, vel Advocatie subiectis, licitè ingerere se possint? R. quòd non, *etiam quacunque consuetudine positâ*, sed illos debere liberè distribuendos relinquere Rectori, vel Beneficiato; secus, si fecerint excommunicationis, & interdicti poenis subijci, *Et jure Patronatus, ac Advocatie ipso jure privatos esse.* Ratio sumitur ex Trid. Sess. 25. de Reform. c. 11. cujus verba formalia hæc sunt:

Patroni autem beneficiorum, *cujuscunque Ordinis, & dignitatis*, etiam si Communitates, Universitates, Collegia quacunque Clericorum, vel Laicorum existant, *in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum quorumcunque beneficiorum*, etiam si vere de Jure Patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, *nullatenus, nullave causâ, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato (non obstante etiam quacunque consuetudine) distribuendos dimittant.* Nec dictum Jus Patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo, in alios, contra Canonicas sanctiones, transferre præsumant; *si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti poenis subijciantur, & dicto jure Patronatus ipso jure privati existant.*

Deinde Sess. 12. c. 11. Patroni bona 3098
Ecclesie inquit, *in proprios usus convertentes, illaque usurpare præsumentes, jure Patronatus eo ipso privati existant;* quòd universaliter ibid. statutum est de omnibus, & specificè de Patronis, qui jure Canonico ab Advocatis non differunt. Denique in eod. Trid. Sess. 24. de reform. c. 3. sic statuitur. Patroni verò, *in iis quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, atque visitationi ornamentorum Ecclesie, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immiscere, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat.*

Ex istis Tridentini decretis deducitur, 3099
1. Pa.

1. Patronum (idem est de advocato, nam hic in jure Canonico à Patrono non distinguitur) ipso jure privatum esse Jure Patronatus, & incurrere excommunicationem reservatam, qui aliquid de bonis Ecclesiæ sui Juris Patronatus in proprios usus sive per se, sive per suppositas personas convertit, vel sibi usurpat. Constat ex n. præced.

Colliges 2. non prohiberi Patronis, sibi aliquos moderatos redditus reservare in fundatione Ecclesiæ, si ad hoc accedat *placitum Episcopi*: Constat ex dictis. Deinde etiam clarè ex *c. præterea* 23. de Jure Patron. ubi idem statuitur de Vicedominis, Custodibus, Guardianis, quibus expressè negatur, aliquid temporale sua Authoritate exigere ab Ecclesia, vel illam gravare, *nisi tempore foundationis à diocesano fuerit illi reservatum*; & ratio est; quia cum fundator Ecclesiæ sit privata persona, non potest suâ voluntate, vel Authoritate propriâ canones immutare, ut habetur in *c. requisiti* 15. ante medium, de Testam. præsertim in præjudicium ipsius Episcopi. Et ejusmodi onera, seu conditiones, vel reservationes in fundationibus; non autem *post illas*, fieri possunt; Pithing de Jure Patron. n. 43. Et ex his pat. etiam illa quæstio, an Patroni, vel Advocati ab Ecclesiis Patronatus possint exigere pensionem, vel onus aliud, aut gravamen?

3100 Coll. 3. Patronis non prohiberi, Ecclesiæ; illiusque jura *tueri, & perscrutari*, ne bona Ecclesiæ dilapidentur à Beneficiario; imò jus illis competere, accusandi in hoc delinquentem; & revocandi alienationem perperam, & indebitè factam; sic Barbosa in *c. præterea* de Jure Patron.

Colliges 4. Patronis non licere suâ Authoritate bona Ecclesiæ *alienare*, ut constat ex tot. tit. de rebus Ecclesiæ non alienand. licere tamen locationem bonorum beneficii, pertinentis ad Jus Patronatus ipsorum; quia esto Concilium n. 3097. relatum, dicat, se non *ingerant*, quia tamen *ingerere* sonat modum indebitum, qualis non est locatio, hæc non prohibetur eo Trid. Decreto; sic Barbosa in *c. præterea* de Jure Patron. n. 6. sed hoc intellige, ubi per accidens habent administrationem.

3101 Colliges 5. in Decreto Tridentini relato n. 3097. comprehendit am vendentes,

& transferentes, contra Canones, Jus Patronatus, quàm ingentes se in illius fructuum perceptione, non tantum quoad poenam excommunicationis, sed etiam privationis Juris Patronatus, ipso jure; sic Barbosa *cit. n. 7. ex Declar. Sacr. Congr. 4. Aug. 1588.*

Colliges 6. quòd administratio Gazophylacii, seu Cassæ, non ad Patronum vel Advocatum Laicum, qui ejusmodi Ecclesiæ, vel Capellam fundavit; sed ad Rectorem, & Ministros Ecclesiæ, vel Deputatos à Rectore de jure pertineat, ut docet Layman *l. 4. tit. 2. c. 13. n. 11. dixi de jure*. Nam vi pacti, aut conventionis interdum aliter fit, ut notavimus n. 3099. non autem *vi consuetudinis*, quam communiter allegant Laici. Cum raro sit ea, quæ habeat vim, jus inducendi ex l. 1. lit. a. & reprobetur à Tridentino ut constat ex n. 3097.

Colliges 7. curam rerum temporalium (quæ spectant ad Ecclesiæ) Patrono, vel Advocato Laico, non ita competere, ut sibi aliquam jurisdictionem, vel administrationem vendicare, vel rationes exigere possit; cum solum pertineat ad eum cura temporalium, *quoad defensionem, & denuntiationem faciendam Superiori Ecclesiastico*, si res malè administrarentur. Et ratio est, quia nec in civilibus jus protectionis seu Advocatiæ extendit se ad jurisdictionem collectionum erga Laicos incolas exercendam; sed solum ad protectionem & tutelam, prout etiam docet Andr. Gail. *l. 2. Observ. 54.* sic in terminis Layman. *cit. & Panormitanus in c. Cum ad sedem, de restit. Spoliator. n. 22. & in c. in Lateranensi, de præbendis.*

Nota autem, quando dicimus, *Ad. 3101* advocatis, vel Patronis Ecclesiarum, nullam jurisdictionem, vel dispositionem, aut etiam administrationem competere, vel circa ipsas Ecclesias, vel circa personas, aut bona Ecclesiastica, etiam in visitationibus: hoc debere intelligi, quantum est *vi Juris Patronatus, vel Advocatiæ*, ut constat ex pluribus textibus hæcenus allatis, & specialiter ex Tridentino in n. 3097. & ratio evidens est, ex ipsa natura Patronatus, & protectionis, ut notatum est supra. Cœterum, si quid Patronus, vel Advocatus sibi, cum consensu Ecclesiæ, seu Ordinarii, in fundatione, exemptione

Etione Ecclesiarum reservavit, vel cum susceptis in Clientelam de eodem Ecclesie consensu convenit: servandum est; quia legitimi pacti obligatio naturalis est, & servanda.

3104 Quæstio est 4. an Patroni vel Advocati Ecclesiarum habeant jurisdictionem aliquam in ejusmodi Ecclesias, personas Ecclesiasticas, vel earum bona? ante resolutionem not. quod jurisdictio consistat in statuendo & exequendo. Hinc includit duplicem potestatem 1. judicandi in causis, sive civilibus, sive criminalibus; & exequendi judicata. Potestas judicandi vocatur *imperium*; & quidem, si sit in causis criminalibus, dicitur *imperium merum*; si in civilibus, *imperium mixtum*. Deinde jurisdictio alia est *voluntaria*, quæ exercetur in partes consentientes; alia *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, & reluctantes, seu à se invicem dissentientes; alia *ordinaria*, quam quis habet jure suo; alia *extraordinaria*, quam quis habet ex beneficio alieno, vel quia delegata, sive mandata; vel quia prorogata est. *Delegata* est, quam quis habet ex mandato ejus, cujus ordinaria est jurisdictio; *prorogata* verò, quæ alicui competit ex voluntaria partium submissione, his præmissis:

3105 1. negativè de Patronis, qui non sunt simul Advocati Tutelares, probatur ex c. *Præterea* 4. h. t. ibi: Quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, ut Episcoporum Authoritate neglectâ, Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant, cum voluerint, possessionem quoque, atque alia Ecclesiastica bona, pro sua voluntate plerumque distribuunt, ipsos anathemate decernimus feriendos; Clericus autem, qui Ecclesiam, per Laicos sine proprii Episcopi autoritate receperit, *communione privetur*: & si persistit, à Ministerio Ecclesiastico, & ordine deponatur.

Secundò ex c. *Querimoniam* 9. eod. ibi: Absurdum videtur omnino, ut ad singulas Patronorum, secundum humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum ordinationes mutentur, & vicissitudines Ecclesiarum ab Advocatis, vel aliis præsumantur. Tertio ex c. *Consuluit* 15. eod. ibi: cum sanctuarium DEI, jure hæreditatio teneri non possit: non deest aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias, à pa-

Tom. III.

rentibus suis fundatas, propria Authoritate detineant, aut Laici filiis, vel aliquibus laicis concedant easdem. Ex his juribus apertè constat Patronis, quæ talibus, qui scilicet non sunt simul Advocati Tutelares (nam de illis ad minimum ea jura verificari debent) *vi sui Patronatus*, nullam competere jurisdictionem in Ecclesias Patronatas, instituendi, vel possessiones, & bona earum aliter, quam arbitrio Rectoris distribuendi; Ecclesias à se fundatas, filiis suis, vel aliis Laicis Authoritate propria detinendi, aut concedendi; quod idem de aliis jurisdictionis actibus constat ex Trid. relato n. 3097. & aliis juribus in supra dict. relatis.

Certum enim videtur, quòd Patronatus Ecclesiarum, quæ talis, non importet ullum jus extendens se ad alios actus, quam ab Ecclesia concessum sit; cum sit merum beneficium, & gratia de benignitate ipsius Ecclesie ex n. 3060. sed ex juribus hæctenus allatis clarè habetur, ad nullum jurisdictionis actum, illis ab Ecclesia concessum esse aliquid; cum enim jurisdictionis usum in Clericis instituendis & destituendis; in ingerendo se perceptioni fructuum, proventuum, & oblationum, in administratione honorum, &c. prohibeat sub excommunicatione, atque adeo sub peccato mortali, ac æternæ damnationis pœna, evidens est, ab Ecclesia illis *vi Patronatus* nullam jurisdictionem ad ejusmodi actus indultam esse.

Quamvis autem de *Advocatis Tutelaribus* plures hujus seculi Legistæ affirmant, illis competere jurisdictionem civilem in Clientes, eorumque subditos; dicendum nihilominus, nec istis, *vi juris Advocatiae* competere ullam jurisdictionem vel civilem, vel criminalem in Clientes, ac eorum subditos; ita communiter Canonistæ cum Martino Magero de Schönberg c. 10. de Jure Advocatiæ n. 385. primò, quia Jus Advocatiæ ac Confœderationis æquiparantur ex communi Doctorum sensu; fœdus autem nemini fœderatorum in fœderis socios ullum imperium tribuit; nec eos ab ordinaria jurisdictione eximit, ut plurimis ostendit ibid. Magerus. Secundò quia pactis privatorum non inducitur jurisdictione, seu potestas juris dicendi, & æquiritatis statuendæ. L. 1. & 2. ff. de Jud. & alibi. Advocatiæ autem pactis privatorum con-

Xxxx

strui

strui potest; ergo. Tertio, quia *Jus Defensionis*, & *Jus Jurisdictionis* planè diversa sunt: nec hoc ad illud sequitur; cum separatorum nulla sit communitas, ut docet Baldus ad L. *ampliolem. C. de appell. n. 3.* Quarto, *Clients & Subditus*, re & nomine differunt, & horum quodlibet stat sine altero, igitur Clientela non fundat ullam jurisdictionem in Clientes. Bartol. in L. *1. de Excusat.* munerum, apud Magerum cit. qui idem probat innumeris Authoritatibus etiam Legistarum præter plurima argumenta, quæ non fert tempus.

3108 Deinde Advocati Tutelares plus juris non habent ex fundatione, constructione vel dotatione Ecclesiæ, vi Advocatiæ, quam ejus natura ferat; hæc autem naturâ suâ nullam infert Advocatis jurisdictionem in Clientes, cum ut omnes fatentur, Jus Advocatiæ, quâ talis, consistat, sine omni jurisdictione, quia datur Advocatiæ *simplex*, seu nec administrativa, nec jurisdictionalis; ut constabit ex dicendis in seqq. ergo. Nec in hoc videtur posse difficultas esse; cum autem plerique fateantur, jam longè aliter ex usu continuo, & longa consuetudine, quæ passim invaluit, contrarium fieri; & ab Advocatis jurisdictionem exerceri, de hac consuetudine V. infra n. ceterum ex magno abusu ad Advocatos Ecclesiarum ineptè traduci, quæ alio titulo exercent illi, qui præter Jus Advocatiæ, alio titulo jurisdictionem habent, certum nimis est, & constabit ex seqq.

3109 Dices 1. juxta Baldum apud Magerum n. 453. nomine *protectionis* plena jurisdictione continetur. R. Baldum loqui, non de Advocatiæ *ut sic*, sed *speciali*, nimirum *cum incolatu*, seu per quam Clientes se committunt in protectionem *Ordinarii sui Magistratus*, quia ipse in L. *1. C. de excusat.* dicit, quod *submissio in protectionem non tribuat jurisdictionem*, quo vides, in casu, quo Incolæ committunt se protectioni Ordinarii sui Magistratus, duplicem huic titulum competere, nimirum *Judicis Ordinarii*, & *protectionis*, seu *Advocati*, sed sicut ædilis, qui simul est musicus, non titulo artis musicæ fabricam construit, ita nec dominus terrestris, qui simul est Advocatus, seu protector, non titulo protectionis jurisdictionem in Clientes exercet.

Dices 2. Advocati tutelares ratione *protectionis* sunt *domini* suorum Clientum, ergo in eos habent jurisdictionem. R. vocabulum *domini* multipliciter dici 1. relatè ad subditum; 2. relatè ad servum; 3. relatè ad solam quandam præminentiam, & titulum honoris, qui nullam fundat jurisdictionem, ut notat Vultejus Consil. 30. n. 15. volum. 3. & hoc postremo sensu Advocatos dici *dominos suorum Clientum*; nimirum, *voce honoris*; non *jurisdictionis*, nisi simul sint Clientes cum incolatu, ut dictum est.

Dices 3. jus Advocatiæ admixtam jurisdictionem habere, usu longævo acquisitam, innumeris exemplis probari potest, in Romano Imperio, de quibus videri potest Magerus c. 10. n. 389. 4. idem constat ex gravaminibus Principum, ac Procerum S. R. J. contra Sedem Apostolicam, quod multa monasteria à potestate Ordinariorum, & Protectorum eximendo, & consequenter à communibus oneribus pro salute Imperii, ne aliis magnum præjudicium fiat & quod olim in jure Clientelari obtinuit, meritò etiam hodie servari debet, L. *Sancimus C. de testam. L. præcipimus C. de appellat.* Et taliter res durare censetur, qualis fuit in principio L. *2. §. licet.* Vers. *initium ff. de Juris & facti ignor.* præcis autem temporibus advocati, *vi juris Advocatiæ*, jurisdictionem tam civilem, quam criminalem in Clientes exercebant, ut innumeris exemplis probari potest: ergo.

Ad 3. R. jurisdictionem posse acquiri longævo usu, conventionione, vel præscriptione legitimâ, non esse dubium; sed ex hoc, quod Advocatus jurisdictionem habeat in Clientes *tali titulo*, non probari, quod eam habeat *vi Advocatiæ*, hæc enim stat siue longævo usu, &c. Accedit, quod sæpe Advocati, jurisdictionem exercent in Clientes, non vi & jure Advocatiæ, sed *jure territorii*, quod Advocatiæ extrinsecum est. Exempla verò, de quibus fit mentio, non probant quicquam aliud, quam jurisdictionem illis competentem in aliquot locis, vel jure territorii, vel conventionionis, &c. quod est extra naturam Advocatiæ: Idem responderetur ad 4.

Ad 5. R. Idem Jus nunc concedi, quod olim fuit in iis casibus, in quibus interim de con-

de consensu Ecclesie mutatio non intercessit; non autem, si secus. Olim bonorum Ecclesiasticorum administratio communiter erat penes Laicos, sicut etiam causa civiles & criminales, ut notavimus supra. idque de consensu Ecclesie in defectu potentie, & Ministrorum: hodie autem est penes Ecclesiasticos, qui vel per se, vel suos ista prestant, ut patebit ex seqq. Negandum igitur omnino est, Patronis vel Advocatis Ecclesiarum, etiam in vitiis Prælati Ecclesiastici, hodie competere administrationem bonorum Ecclesiasticorum, constat 1. exc. si quis. 16. q. 7. ibi: *si quis Principum, vel aliorum Laicorum dispositionem, seu dominationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur*, junctâ rubricâ: nulla etiam Ordinatio, vel dispositio competere potest Patronis Laicis, de rebus intra Ecclesiam, inconsulto Ordinario, c. noverrunt. 10. q. 1. sic Manrique 99. moral. & Vicarial. p. 1. q. 4.

3114 Dices: contrarium passim doceri à Legistis, nec audiendos esse in hoc puncto Canonistas; quia, cum sint communiter Ecclesiastici, facile scribunt in favorem Ecclesiarum. Deinde usus, & praxis est manifeste in contrarium. & frivolum esse argumentum; si enim, in questione juris Ecclesiastici non sunt audiendi Canonistæ; quia communiter sunt Ecclesiastici, multo probabilius diceretur, in questione juris Laici non esse audiendos Legistas; quia sunt Laici, cum frequenter plus inhiat temporalibus; quam Viri DEO dicati, quales sunt Ecclesiastici. Constat etiam, sententiam Canonistarum à multis Legistis propugnari. Nam Franc. Pfeil, in Germania Juris. Conf. Celeberrimus, Confil. 183. n. 5. expressè docet, Advocatum Laicum, ad cognoscendum, an bene, maleve, per Rectorem Ecclesie res administrate sint; rationum redditionem ab eo hand exigere posse, cum absque hoc de illo facile constare possit. Idem tenet Andreas Knichen de Jure Territor. c. 4. post n. 329. Tobias Paurmeister de Jurisdic. l. 2. c. 9. n. 24. & seq. quia hodie ipsi Rectores Ecclesiarum, etiam in temporalibus investuntur; non autem olim; & ideo olim, Advocati habebant, non autem hodie, administrationem & jurisdictionem. Quod autem hodie omni modo administratio

Tom. III.

Ecclesiarum, Collegiorum, ac Monasteriorum, etiam in temporalibus eorum Prælati & Rectoribus competat, constat apertè ex c. 7. de donationibus c. precipimus 12. q. 1. ibi: *si enim anima hominum pretiosiores illi sunt conceditis, multo magis eum oportet curam de pecuniis habere* V. Magerum de Jure Advocatiae c. 10. n. 364.

Et quamvis Ecclesiarum Advocatis 3115 competat inspectio, ut bona, & redditus Ecclesiarum, debite administrantur; hæc tamen ex n. 3100. in alio non consistit, ut colligitur ex c. filiis 16. q. 7. quàm, quòd, si adverterent, bona, & redditus Ecclesiarum (à se fundatarum, ut notat Magerus cit. n. 374.) dilapidari, vel indebite alienari à Rectoribus Ecclesiarum, possint, vel eos commotione decente convenire, vel ad eorum Superiores deferre, ut notavimus supra n. cit. Et ideo in alienatione rei, ad Ecclesiam pertinentis, nec consensus Advocati Laici requiritur; teste Magero n. 371. quia id nullo jure cautum est.

Dices tamen 2. Advocati, secundum 3116 Canones, solum tenentur abstinere ab abusu bonorum Ecclesie, ejus custodiam habent; cæterum jubentur, ea in bono statu conservare, ut dicitur c. generali de Elect. in 6. hoc autem fieri nequit, nisi administrationem habeant: secundo in c. quicumque 16. q. 7. dicitur, Fundatores Ecclesiarum, seu Patronos, habere jus providendi bona Ecclesiastica, licet non habeant jus, vendendi, vel utendi tanquam propria. Cum ergo Patroni, & Advocati in genere æquiparentur, quod in illis statuitur, etiam in his dicendum est, obtinere. Verum hæc argumenta parum probant. Ad 1. igitur ex adducto textu aliud non probari, quàm jus inspectionis, de quo n. 3100. prout patet ex tot Canonibus citatis, qui Advocatis Ecclesiasticis, vi Advocatiae, negant omnem jurisdictionem, administrationem & dispositionem in bonis, & subditis Ecclesiarum, quarum sunt Advocati. Ad 2. & etiam equum, & hominem, in genere convenire, non tamen, quia homo discurrit, etiam discurrit equus; quia discurrere fundatur in homine ex ratione specifica: Patronus, & Advocatus in hoc conveniunt, quòd uterque habeat jus providendi Ecclesie; ille, vacanti presentando Ministrum idoneum; iste, custodiendo contra vim, & injuri-

am invadentium ejus jura. Neuter tamen habet jus administrationis vel jurisdictionis, titulo Patronatus, vel Advocatiae.

ARTICULUS VI.

Quid sit Jus Advocatiae?

3117 **L**oquimur hinc de jure Advocatiae, prout condistincto à Jure Patronatus, ut monuimus n. 3055. nam sicut *Jus Patronatus*, prout separatim à jure Advocatiae, dicitur per Ordinem ad suum actum præcipuum (qui est Ordinatio *presentare* Clericum idoneum in beneficio vacante instituendum) jus præsentandi; ita *Jus Advocatiae* dicitur etiam ad suum actum præcipuum, *jus defendendi Ecclesiam*, contra violentas oppressiones, curando simul, ne bona Ecclesiae dissipentur, prodigantur, vel alienentur; ab eo enim *Advocati* vocantur *Guardiani, Custodes, & Defensores Ecclesiarum*. Quamvis autem in toto corpore juris nulla reperitur definitio *Juris Advocatiae*, prout explicat jus distinctum à jure proprio Patroni (ut observat Martinus Magerus de Schönberg, de Advocatia armata c. 5. à v. 5.) ex dictis tamen n. 3055. constat, esse jura distincta, & subjecto separabilia. *Advocati* porro, *sumptam in genere*, Magerus cit. n. 22. docet, esse jus, susceptos in clientelam, eorumque bona, contra vim, & injuriam, tam juris, quam facti, defendendi, sub annuo plerumque honorario, vel jure constitutum, vel conventionem, aliisve modis introductum.

3118 Ex hoc colliges 1. illud jus honorarium non esse de substantia juris clientelaris, seu *Juris Advocatiae*; cum simpliciter abesse possit, eo stante: 2. si non unicum, certè præcipuum *Advocatiae* actum, seu munus & finem esse, clientes suos, & eorum bona defendere, & protegere contra vim, & injuriam; Sic Magerus cit. n. 53. Cum autem dicitur, *Advocati* esse, suos defendere contra vim juris & facti, hoc non intelligitur de vi, quam infert Magistratus. Nam, vim à Magistratu illatam, propulsare, legibus prohibitum est, si careat injuria. Colliges 3. *Advocato* Ecclesiae, qui non est simul Patronus, non competere jus præsentandi ad Ecclesiam vacantem, cuius est *Advocatus*; cum præsentare sit

actus proprius alterius juris; & Patrono (qui non est simul *Advocatus*) non competere illud jus Ecclesiam defendendi, quo definitur jus *Advocatiae*.

Beckmannus in jure Statutario Styriae V. *Advocata*, hanc vocat *jurisdictionem civilem, Vogteicam circa Ecclesiam, ejusque bona rectè observanda*, subditos bene gubernandos, & defendendos contra aliorum invasiones, injurias, & violentiam. Deinde V. *Vogteia* dicit, jus *Vogteicum*, seu *Advocata* suam originem sumpsisse ab eo, quòd tam Ecclesiastici, quam Laici Domini terrestres, tempore belli, vel aliarum difficultatum, subditos suos aliis potentioribus in protectionem, vel perpetuò, vel ad tempus, reservatà sibi jurisdictione territoriali (vulgo *Grund-Obrigkeit*) liberè subjecerint. *Advocati*am temporalem vocat *precarium* (*Bett-Vogtey*) & dicit esse ad libitum clientis revocabilem: aliam *hereditariam*, quæ perpetua est, & ad hæredes transit, & vocari solet *clientelare jus*. Illa communiter facta est, ob varias belli calamitates; ista verò, nata est, cum Dominus fundi, seu terrestrius suos subditos in perpetuum, protectionis gratià, liberè subjecit, vel fundando Ecclesiam, ei aliquos subditos assignavit, reservatà sibi tamen jurisdictione in illos. Hoc postremum non habet locum, nisi hæc reservatio facta sit cum consensu Superioris Ecclesiastici, ut constat ex dictis; Sed, quæ circa istam Beckmanni doctrinam ex vero tenenda sint quoad Ecclesiarum *Advocatos*, dicemus à n. 3137.

§. I.

De diversis Speciebus Advocatiae.

Multiplices *Advocatiae* species enumerat Magerus cit. c. 4. à n. 2. Sed omisissis pluribus, quarum notitia hic necessaria non est, not. 1. ratione causæ efficientis aliam esse *legalem*, quam *Advocatus* habet ab ipsa lege, vel Canone; qualis est illa, quæ competit ei ex causâ fundationis, extructionis, vel dotationis Ecclesiae, ut dictum est; aliam *Conventionalem*, quæ partium libero, mutuoque consensu constituitur. 2. Aliam esse *mandatam* seu *delegatam*, quam quis exercet alieno nomine, & mandato; aliam, non *mandatam*, sed *propriam*, quam quis exer-

exercet jure, ac nomine suo. 3. Aliam *simplicem*, aliam *administratorem*, seu cum administratione conjunctam. Illa est, quæ præter nudam protegendam obligationem & acceptionem honorarii, nullam administrationem, vel ejus inspectionem habet, & dicitur *Vogtey*, vel *bloffe Schutz* *Be rechtigkeit*: ista verò, quæ secus: Aliqui etiam dicunt *simplicem*, quæ caret jurisdictione, quæ vero habet, eam vocant *jurisdictionalem*, quæ scilicet habet criminalem, aut civilem, vel utramque jurisdictionem adjunctam. Utrum autem Advocatia *administrativa* (*Rasten Vogten*) hodierno tempore majorem potestatem habeat, vel jure exercere possit, quam simplex, dicemus in seqq.

3120 Præter hæc, *Vogteiam* aliqui dicunt, esse unam *superiorem*; alteram *inferiorem*, illam dicunt esse quoddam Regale supremi Principis; istam verò competere etiam minoribus Dominis; aliam *personalem*, quæ cum persona illam habente extinguitur; aliam *hereditariam*, quæ transit ad hæredes. Deinde, Advocatiam ratione Clientum in protectionem susceptorum, dicunt aliam esse *Ecclesiasticam*, aliam, *secularem*. Illa est, quando Clientes in protectionem suscepti sunt Clerici, vel Regulares, sive Protector sit secularis, sive regularis; quando autem Clientes sunt Laici, esto Protector sit Ecclesiasticus, Advocatia est *secularis*.

Cum autem fieri possit, quòd quis in alterius protectione sit cum omnibus, & universis bonis, atque subditis suis, Advocatia erit *generalis*, seu universalis; si autem solum cum aliquibus, non omnibus, erit *particularis*; not. autem, quòd, quando protectio præstanda suscipitur, quin Protectori ulla merces, vel annuum honorarium constitutum sit, Advocatia dicatur *gratuita*; si verò secus, vocetur *mercenaria*. Hodie rarissima sunt Advocatia gratuita; quæ scilicet sine spe lucri temporalis suscipiuntur. Earum tamen exempla quædam refert Magerus *cit. c. 3. n. 249.*

3121 Quoniam autem Advocatia alia est *cum incolatu*, quando quis non tantum clientelam alicujus se subicit, sed etiam domicilium, laremque in Protectoris ditio nem transfert, & sub illo habitat; si verò careat hoc secundo, est Advocatia *sine in-*

colatu; ideo inter hos clientes discrimen est, quòd *Clientes cum incolatu* sunt *subditi* Advocati, seu Protectoris sui; non autem *Clientes sine incolatu*. Quia ratione domicilii sortitur quis forum, ut diximus in 2. decretal. non autem ratione Clientelæ; aliàs etiam malè divideretur in clientelam *simplicem*, de qua diximus n. 3119.

§. 2.

Quem effectum in Clientibus habeat Jus Advocatia.

NON immorabimur explicando fini, & 3122 officio Advocati, seu Protectoris, sed potissimum ea dicemus, per quæ constet, quid juris competat Advocatis, præsertim Ecclesiarum, quos *Ecclesiasticos* vocari constat ex n. 3120. *Finis* tamen Advocati, & officium diversa sunt. Nam hoc ad media pertinet, quibus finem consequimur; finis verò in absolute operatione consistit. Hinc Advocati officium est, Clientes suos defendere, ac protegere; finis autem, eosdem incolumes, atque indemnes conservare. Not. autem, quòd quidam Laici Jus Advocatiæ, tum relatè ad ipsos Advocatos, eorumque potestatem; tum ad Clientes, eorumque subjectionem, & obligationem reciprocam, exorbitanter, etiam respectu Ecclesiarum, ac bonorum Ecclesiasticorum, nimium quantum extendant. Inter hos est Beckmannus, qui scribens de Jure Statutario Styriæ, V. *Advocatia*, & V. *Vogteia* docet, *Advocato, etiam Ecclesiarum* competere seqq. nimirum Jus, à subditis suæ Advocatiæ regulariter exigendi, juxta consuetudines Provinciæ, onera, seu servitia Vogteutica 1. certas robotas, 2. censum, seu Steuras (*Die Land-Steur*) nisi Dominus territorii hoc secundum antiquitus reservavit, & in specifica possessione retinuerit. 3. quòd in quibusdam locis habeat ex consuetudine recepta Jus *nundinarum* (*Rirch-Tag Schutz/ und Rirch-Weih Schutz*) & dedicationis Ecclesiæ in eo situm, quod punire possit delicta iis diebus commissa, quæ non spectant ad iudicium criminale.

Quartò, jus obsequandi, & inven- 3123 randi bona Parochorum defunctorum; sic, ut ex speciali mandato generali Principis cavere possint, imò debeant Advocati, ne bona illorum relicta supprimantur, distrahantur; sed creditoribus liqui- da de-

da debira solvantur, residuum proximis consanguineis, aut quibus ex testamento, debetur, consignetur, & à tempore mortis, usque ad investituram novi, domus Parochialis facta testata bene conservetur, & si reparatione indigeat, ex bonis defuncti reparationem Advocatus curet 5. quotannis semel, aut bis ab Administratoribus honorum Ecclesie (von denen Kirch, Bröbsten / und Zehleuthen) in Parochiali domo exigendi rationes, & ad hoc communiter vocari Patronum, si per se, vel alium sui loco interesse velit. 6. *ibid. V. Vogteia pag. 542. ex Layman tr. 2. l. 4. c. 13.* actus Juris Advocatiae docet esse sequentes: primò installationem, seu traditionem temporalium, seu Parochi investituram in temporalibus; 2. traditionem Urbaniarum; 3. Herceingebung der Revers; 4. confectionem inventarii; 5. expeditionem (Abhandlung der Verlassenschaft) hereditatis à defuncto Parocho relictae; 6. inspectionem fabricae; 7. Exactionem rationum, ut dictum est. Verum an hæc ullo jure procedant, dicemus in seqq. præsertim à n. 3137. quibus annotatis:

3124. Quæstio I. est, ad quid Clientes Advocatis, seu Protectoribus suis, ob susceptionem eorum clientelam, seu protectionem, extra pacta conventa, teneantur? ubi nota hic signanter procedere quæstionem de debito, *secluso pacto*, solum *ex vi juris Advocatiae*, & non ex vi pacti & conventionis. Nam, si quid inter Clientes, & Advocatum specialiter conventum est, illud debetur non *vi Advocatiae, ut sic*; sed *vi advocatiae Conventionalis*: Ut ergo primum effectum Advocatiae explicemus, quæstio est, an, & quam obligationem pariat in Clientibus erga suos Advocatos, seu Protectores.

3125. Dubium igitur primum est, an Clientes Protectorem, absque veniâ, impunè in Jus vocare possint? Negant complures; quia persona Protectoris Clientibus semper honesta, & sancta esse debet; *arg. L. Liberto. 9. ff. de Obsq. à Libert.* illa autem persona, quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris impunè in Jus vocari non possunt. *L. 2. C. de in Jus vocando.* R. tamen affirmativè, posse de necessitate juris; quia illud edictum Prætoris in *cir. L. 2.* non loquitur de personis,

quibus hæc reverentia (*in Jus non vocandi*) debetur, nisi in edicto expressis; at in eo persona Protectoris expressa non est; ergo: ita Magerus *cir. c. 10. n. 52.* Nam alias nemo Magistrum suum in Jus vocare impunè posset, cujus tamen contrarium ex continua praxi constat; quamvis aequitati conveniens sit, ut Clientes hoc non agant, non præmissâ veniâ petitione.

Dubium 2. an Clientes adversus Protectorem, vel hic contra Clientem productus in testem justè, vel injustè à testimonii dictione abstineat? R. justè illos contra alterum, nimirum Clientem contra Protectorem; & vicissim, testificari posse (quantum est de necessitate juris) quia quilibet testis esse potest, qui à lege vel Canone nominatim prohibitus non est. *L. invitus §. 1. de Procurat. & L. 1. ff. de Testibus*, & cuncta licita sunt, quæ lege, aut decreto non inveniuntur prohibita. *L. nunquam eis. ff. ex quibus causis major. & c. ad dissolvend.* de desponsatione impub. at nullo juris textu demonstrari potest, Clientem ab alio in fidem susceptum, contra suscipientem in testem produci prohibitum esse. Nam usus hodierni temporis jus antiquum in hoc puncto non agnoscit; & hæc de necessitate juris. Et hæc Clientes nec occurrente necessitate Advocatis suis (quantum est de juris necessitate) mutuum auxilium præstare tenentur, seclusâ speciali conventione. Nam ad plus non tenentur, quam exprimat protectionis contractus.

Dubium 3. an Clientes, ratione protectionis, suis Protectoribus teneantur præstare collectas, seu contributiones? R. negativè cum Magero *c. 10. n. 175.* plures alios pro se citante; quia protectio (consequenter ipsum Jus Advocatiae) Protectoribus, seu Advocatis nec exemptionem Clientum ab Ordinario Judice ipsorum, nec jurisdictionem, nec collectandi potestatem tribuit. *c. ex parte. 18. de privileg. Menochius l. 1. conf. 32. n. 29. Everhard. Consil. 55. n. 64. Besold. de jure foederum c. 5. n. 12.* Deinde Collectans non potest collectas exigere, nisi de bonis, in quibus habet jurisdictionem, Bartol in *L. unic. C. de mulier. n. 34.* hinc civitas non potest collectas imponere pro rebus, quæ sunt extra territorium *L. fin. ff. de jurisdic. omnium Jud. Protector*

Cor autem, seu Advocatus ratione protectionis nec in personam, nec in facultates Clientis ullam habet jurisdictionem, ita Magerus *cit. n. 179.* & seq. & pateb. ex dicend.

Dices: contrarium multis exemplis probari posse cum longo usu, qui fecit prescriptionem. *scilicet* per exempla non probari, quod Advocato jus collectandi *vi Advocatia* competat, cum illa fundentur non in Advocatia ut sic, sed in Avocatia cum incolatu, quæ Clientes facit subditos ratione domicilii, non ratione Clientelæ, ut *not. n. 3121.* Et quamvis, ut rectè notat Farinac. *decif. 146.* in hominibus parum potentibus interdum jus collectandi attentetur, & obrineatur; inde tamen secuta largitio non ex consensu sed metu potius, & reverentia facta præsumitur, nec præstanda ideo collecta in futurum obligationem producit; sed *tacita etiam omnem interrumpit prescriptionem murmuratio.* Quia *timens non affirmat, quando sine periculo reclamare non potest.* Et ideo talis injusta, & violenta possessio, vel quasi possessio longi usus, & consuetudinis, quam allegare solent potentiores, illos tueri non potest, cum sit potius violentia, quam juris, & legitima possessio; sic Andr. de Isernia de feudis; Pacianus de probat. & alii quos *cit. & seq. Magerus cit. c. 10. n. 189. §. 2. extenditur.*

3128 Quæstio est 2. an Clientes privati, renuntiantes clientelæ (mutando domicilium) de jure teneantur Protectoribus suis solvere ratione protectionis illis exhibitæ, jura emigrationis? vulgò *den Abzug/ oder Abfahrt?* *scilicet* quòd non *vi Clientelæ*, seu Advocatiæ præcisè; sic Magerus *cit. c. 10. n. 207.* Nam imponere jura emigrationis est actus jurisdictionis, qua Protectores *vi Clientelæ* in Clientes de jure carent, ut diximus *n. 3127.* & constabit ex dicendis infra. Dixi, *vi Clientelæ*; quia an census emigrationis, alio titulo solvendus sit? Alterius quæstionis est.

Speidelius in suo Speculo juris, illum censum emigrationis (*Abfahrt Geld*) vocat supremum discedentis tributum; *Nachsteuer* in Styria dicitur; in Austria *super. das Frey Geld*; & exigitur in redhostimentum exhibitæ protectionis, & immunitati ob discessum tributum; ut docet And.

Kinchen de investitura um paction. *p. 2. c. 4.* Hic census emigrationis exigitur ab omnibus, qui larem, seu domicilium mutant; mobilia sua de uno in aliud territorium transferendo, & Jure Austriaco, ac Styriaco est satis gravis. Nam si emigrantes sint Vasalli Cæsarei, & abeunt extra Provincias hæreditarias Cæsaris, Principi pendere debent. 10. partem bonorum, quæ secum auferunt; si autem sint extranei, ex hæreditatibus, quos auferunt, 5. vel 6. partem.

Not. tamen 1. Mulieres ratione dotis, esse immunes à censu emigrationis per Constitutionem Rudolphi Secundi de Anno 1597. 8. Martii. *Not. 2.* nullum inquilinum alicujus loci Cæsarei, teneri ad hunc censum, si de una Provincia hæreditaria in aliam emergat, vel hæreditatem auferat, per Constit. LEOPOLDI I. de Anno 1678. 12. Novembr. *Not. 3.* quòd etiam inferiores Domini territoriales in Styria (*Grund u. Herin/ oder Grund Obbrigkeit*) censum emigrationis quandoque exigant à subditis suis, seu incolis territorii ipsius subjeeti, cum ad alium Dominum mutatione domicilii emigrant; hoc tamen Jus iis tantum competit, qui hoc Jus probant à tempore immemorabili, vel per 32. Annos quietæ & continuæ possessione docere possunt; cum de his duntaxat casibus Jus statutarium Styriæ loquatur. *Not. 4.* Contrariam nostræ responsioni opinionem in hoc fundari, quòd Clientelæ cum incolatu à suis Protectoribus æque acceperint clientelam & protectionem, quam alii, consequenter iisdem oneribus & legibus subjeeti sint. *scilicet* tamen hoc intelligendum de incolis, qui cives facti sunt; non autem de his, qui gratis, vel annuâ pensione locum aliquem inhabitant.

Quæstio est 3. an suscepti in Clientelam Protectoribus suis teneantur *gratis* præstare albergariam, hospitaturam, vel fodrum? id, quod maxime procedit de Monasteriis, quæ aliorum protectioni se commiserunt. Per *Albergariam* glossa in *c. Præterea 23. de jure Patron.* intelligit census, seu pactiones, quæ debentur pro comestionibus, aperturam castri, *die Eröffnung*; alii, hospitationem, seu receptionem in hospitem, qua Protectori detur cum Sociis, seu Comitibus, & famu-

famulis adventanti cibus & potus. Per *Fodrum* autem aliqui volunt significari pabulum equorum; alii extraordinariam quandam annonæ collationem militarem, sive pertinentem ad Imperatoris expeditionem; & *fodrum* hoc postremo sensu acceptum aliqui reputant inter regalia Principis, ut pluribus ostendit Magerus de jure Advocatiæ c. 10. à n. 223. *Hospitatura* denique varias quoque significaciones habet juxta diversas locorum consuetudines. Hinc aliqui eam accipiunt pro jure in tali loco, vel apud talem capiendi hospitium; vel quo illi hospitium assignari debeat; aliqui pro mansionibus, in prædiis fundis, vel Monasteriis antiquitus constitutis, vulgò *Außspann*; vel etiam *Gastung/ und Nacht/ Feld* / quibus præmissis:

Re. cum Magero cit. n. 281. hodie Protectoribus nullum ejusmodi hospitalitatis beneficium à Clientibus jure aliquo deberi. quia Jus hospitandi, vel albergandi est Jus Superioritatis, & regale quoddam; at Protectores vi protectionis & Advocatiæ nullum tale Jus habent in Clientes, ut dictum est & dicitur in seq. Deinde c. *præerea* 23. de Jure Patronatus expressè prohibetur Patronis, Vice-Dominis, Custodibus, seu Guardianis (quo nomine clarè veniunt *Advocati*, seu Protectores) aliquid temporale ab Ecclesiis (quarum Advocati sunt) exigere, nisi modicum, de quo dicam in seqq. & aperte constat ex pluribus Decretis Concilii Tridentini, jam relatis supr. Coeterrum, quamvis non desint, ut notat Magerus cit. à n. 259. exempla, quibus ostenditur, Advocatis à pluribus Monasteriis datas albergarias, hospitaturam & fodrum, non ostenditur tamen datas, vi *Advocatiæ*, sed vi pacti in fundatione, ut notavimus supra, vel vi Administrationis, vel utriusque jurisdictionis, quam olim fuisse penes Advocatos, præsertim administratorios, & jurisdictionales cum defensionis officio, pluribus docet Magerus cit. de Advocatiæ armata c. 10. n. 259.

3131 Quæstio est 4. an Clientes Protectori teneatur ministrare alimenta? Re. negativè: quia, quod nec consuetudine receptum, nec jure est constitutum, non est temerè offerendum, ut dicitur §. *considerare*

mus Auth. de Trient. & semisse L. si verò §. si de viro ff. solus. matrim. L. si servum §. non dixit Prator. ff. de acquirend. hered. L. dissentientis C. de repud. quod autem Clientes Protectori alimenta ministrare teneatur, etiam ad egestatem prolapsa, nec consuetudine receptum est, nec jure constitutum: ergo, intellige, si in principio constituta protectionis non sit aliter conventum. Nam ultra pacta conventa, Clientum onus porrigi non debet. L. si unus §. ante omnia de pact. Hoc autem pactum in dubio non præsumitur; quia in obligatione non veniunt illa, de quibus initio contractus initi verisimiliter non fuit cogitatum, in dubio autem capienda est potius interpretatio, quæ non repugnat verisimili, ut docet Papinianus in L. Tale pactum, §. fin. ff. de pact. Nec obstat, Patrono à Libertis, & Patrono Ecclesiastico, seu Ecclesiæ, ab hac deberi alimenta, cum est ad inopiam prolapsus. Nam equiparatio generalis non habet locum in his, quæ competunt jure speciali; de Patrono autem id specialiter in jure expressum est, ut constat ex priori; nulli autem de Custodibus, Guardianis, seu Advocatis, & Protectoribus.

§. 3.

Quem effectum in Advocatis habet Jus Advocatiæ.

RESP. primum, & potissimum esse jus, ac potestatem susceptos in Clientelam defendendi; secundum esse, jus exigendi annuum honorarium ratione pactæ protectionis debitum; tertium autem olim fuisse in Advocatis Ecclesiasticis, jus, & curam administrationis bonorum Monasticorum. Sed, an hic postremus effectus hodiernis temporibus, hoc Jus Administrationis in Advocatis Ecclesiasticis locum habeat, dicemus in seqq. & negandum esse, constat ex jam dictis.

Quæstio autem est, ad quos actus jus protectionis se extendat in habente jus Clientelæ, seu defensionis eorum, qui sub ejus protectione sunt? non attingimus hic ea, quæ antiquis temporibus Protectores habebant; sed solum, quæ jure

jure hodierno. Et primò Advocatis Ecclesiarum, hujus temporis excluso omni jurisdictionis exercitio, atque administrationis onere (ut dicemus) præter meram defensionem regulariter nihil competit; nec submissione in protectionem aliud jus, quam defendendi in Advocatum transfertur; sic Magerus seu, ut eum citant alii Schönberg *cit. c. 11. n. 77.* &c. Modestini, Pistor. *Consil. 43. l. 1. n. 30. & consil. 24. n. 24.* ex variis Imperatorum constitutionibus, & plures alii etiam Legistæ cit. apud Magerum loc. cit. Nam Advocatus dicitur à protegendo; & *protegere* idem est, ac *defendere*, quod, ut not. gl. in L. *desertorem*, §. ult. ff. de re milit. & Barbof. in c. *recepimus*, de privileg. n. 8, nullam importat Superioritatem, imò in inferiore, sicut & defensio, verificatur.

3134 Hinc not. 1. quòd Advocatus non tantum bona suorum Clientum, sed etiam personas eorum defendere teneatur, & vicissim. Menoch. de arbitr. Judic. *casu 110. n. 6. & seq. 1.* quia per facultates nostras honos, vita, & status dignitas, imò ipsi homines conservamur; 2. quia defensio bonorum venit in necessariam consequentiam defensionis personæ. Not. 2. quòd Advocatus in territorio suo salvum conductum Clientibus præstare teneatur. Nam defensio naturâ suâ salvum conductum importat. Not. 3. quòd Protector teneatur Clientes suos non offendere. Nam obligatus alium indemnem servare contra Extraneum, multo magis, contra seipsum, cogitur eundem servare indemnem; intellige tamen, si Clientes non præbeant offensæ causam. Not. 4. per litem Clientibus motam, & pendentem, jus Protectionis non impediri; Magerus *cit. n. 303.* nam nemo debet prætextu litis motæ à sua possessione desistere; imò, si impediretur, contra protectorem fieret innovatio, & attentatio. Not. 5. quòd Advocato, quoad defendendos Clientes, & propulsandas injurias non competat plus juris, quam ipsius Clientibus; hinc suos Clientes eo modo defendere debet, quo ipsi, si possent, permissum est. Ed ideo ubi ipsi contra injurias experiri deberent iudicio, ille non debet armis uti. Menoch.

Consil. 99. n. 35. & 39.

Tom. III.

Not. 6. quòd Jus defensionis se extendat non solum ad bona sub jurisdictione Clientum, sed etiam in alieno territorio sita; quia dispositio, quæ principaliter personam respicit, effectum suum in consequentiam ad bona sita extra territorium porrigit, per textum L. *si fidei commissum §. tractatum*, ff. de Judic: sic Decius *Conf. 207. n. 5.* incip. *pulchrum & dubium*. Not. 7. quòd jus protectionis eoque se extendat, ut Clientes, etiam invitò, defendere possit, & debeat. Nam beneficium etiam invitum conferri potest, *si publica causa concurrat*; hoc autem est in dato casu, quia consideratur communis Clientum salus, & libertas publica. Not. 8. quòd Advocati Tutelares suos defendere teneantur, licet Ecclesiarum, Monasteriorum Fundatores Advocatiæ institutionem prohibuissent, Magerus *cit. c. 11. n. 425.* ubi hoc ostendit pluribus exemplis. Not. 9. Advocatos Tutelares non teneri ad operferendam Clientibus, in rebus acquirendis, ad quas nullum habent jus. Defensio enim tutelarum est solum *contra vim & injuriam*.

§. 4.

De Jure Honorarii annui.

Honorarium annuum, quòd Protectoribus penditur, non est de substantia Juris Advocatiæ: ratio est, quia Jus Advocatiæ stat, etiam sine debito, & spe ullius lucri temporalis ex dictis. Nam, ut rectè ait Magerus *c. 14. à n. 179.* *Protectoris officium omnino gratuitum est, eique pro exhibenda defensione salarium non debetur.* Et ideo Bodinus apud eundem, *Jus*, inquit, *Clientelare*, seu protectionis, *omnium maximum, ac pulcherrimum inter Principes censetur.* Heri quidem à Servis, Patroni à Libertis, Domini à Vasallis, magnas utilitates adipiscuntur: *at Principes populivæ, qui alios in Clientelam accipiunt, nihil præter dignitatis, ac verae laudis jucundissimos fructus sperare, sed Clientes opibus, & auxiliis, adversus hostium copias, sine mercede tueri debent.* V. L. 2. C. ut nemo rustican. ad suum Patrocinium suscip.

Et quidem, quòd attinet Advocatos

Yyyy

tos tutelares locorum *sacrorum*, non tantum jure communi, sed etiam specialibus Imperatorum & Pontificum Decretis, prohibita fuit Advocatis mercedis temporalis pactio (ut ostendit Magerus *cit. c. 14. à n. 185.* extra conventa de consensu Ordinarii in fundatione) quamvis postea usu, & consuetudine contrarium inductum sit, præsertim pactis iniitis inter Clientes, & Protectorem, quo casu honorarium annuum licitum est, ex quibus etiam pendet resolutio illius quæstionis, an defensio facienda sit sumptibus Protectoris, an Clientum, de qua Magerus *cit. c. 14. à n. 226.*

§. 5.

De Convenientia, ac Differentia inter Patronos, & Advocatos Ecclesiarum.

3137 **N**on est dubium Patronos, & Advocatos Ecclesiarum in multis convenire; in multis ab invicem differre. Primum enim Jus Patronatus, prout distinctum à jure Advocatiæ, esse præcipue ad actum præsentandi Clericum idoneum pro beneficio vacante, constat ex dict. & præter hoc Patrono competere, i. honoratiorem locum in Ecclesia, & processionibus ex n. 3056. Deinde; quod factus inops ab Ecclesia debeat ali ex n. *cit. n. 3056.* & seq. jus autem Advocatiæ tutelaris, ex vi Advocatiæ, esse solum ad actum defendendi Clientes, & eorum bona contra violentas oppressiones ex n. 3136. & seq. quamvis Advocato etiam Ecclesiastico, ex vi talis Advocatiæ, competat jus inspectionis supra bona Ecclesiastica, sed citra administrationem, vel jurisdictionem, ut constat ex n. 3133. Ambo tamen in hoc conveniunt, *relatè ad Ecclesias*, quarum Patroni, vel Protectores sunt, quod tantum, & non plus vi Patronatus, vel Advocatiæ habeant, quantum illis ab Ecclesia concessum est; neutrum enim constitui potest, nisi dependatur à consensu Ecclesiæ, ex n. 3060. Unde, quod *Advocati* seu *Protectores* à Laicis electi, vi conventionis cum consensu Clientum, vel incolatis, aut alio jure per accidens acquisito, fortassis habent, nullatenus legitime transferri potest ad Patronatum; vel Advocatiæ, re-

latè ad Ecclesiam, ex natura Juris Patronatus, prout videtur discurrere Beckmannus relatus supra n. 3122. ut constabit ex seqq.

Hinc contra dictum Beckmannum n. 3122. relatum, dicendum, *Advocatiæ* in genere malè ab illo definiri per jurisdictionem civilem in Ecclesiæ bona; hæc enim Advocato, etiam Ecclesiastico, vi juris Advocatiæ, ac per se, nulla competit ex n. 3127. & 3133. sed aliquando tantum per accidens, & ex alio c. ut dixi n. 3119. cum seqq. negandum pariter, quod Clientes Advocato teneantur *vi Advocatiæ*, certa servitia, seu onera, seu census, & robotas. Nam vi Advocatiæ nihil illi competit, nisi defensio Clientum ex n. 3133. & seq. esto per accidens, vi pacti, conventionis, vel reservationis in fundatione, aliquid illi concedatur, ut dixi n. 3078. malè quoque dicit, quod Advocatus *vi Advocatiæ* habeat mixtum imperium, & jurisdictionem in subditos Ecclesiæ, i. quia hoc non habetur ex *vi Advocatiæ*, ut sic, sed ad summum ex vi Advocatiæ *jurisdictionalis*, de qua dictum est supr. Constat præterea ex n. 1162. & seq.

Dicendum præterea contra eundem, 3138 *Advocatis* Ecclesiarum, *vi Advocatiæ* non competere Jus obsequandi bona Parochorum, aut Beneficiorum defunctorum. Nam ex vi Advocatiæ nullam habent ejusmodi bonorum, vel administrationem ex n. 3133. vel jurisdictionem ex n. 3119. secus est, si aliter conventum sit cum potestate Ecclesiastica. Sed hoc habet se per accidens solum *respectu Advocatiæ*. Unde vi Advocatiæ illis nec competit jus conficiendi inventarium bonorum à defunctis Beneficiatis, vel Parochis relictorum; hæc enim pertinent ad administrationem, vel jurisdictionem; Sed Advocatus Ecclesiæ vi talis Advocatiæ neutrum habet, nec Jus distribuendi bona defunctorum Beneficiorum, nisi vel à defuncto, vel Superiore Ecclesiastico ad hoc sit constitutus. Constat ex n. 3094. Confirmari hoc potest ex literis fundationis Episcopatus, & Ecclesiæ Cathedralis Labacensis, §. *Volumus quoque*, in quibus Fridericus Imperator Austriacus omnem potestatem temporalem sibi tantum, suis hæredibus, & ex certa scientia deputan-

deputandis, in bona Episcopi, Canonico-
rum, Vicariorum & homines, vel
colonos eorum, specialiter reservavit ex-
clusis Capitaneis, Vice-Dominis, & aliis
quibuscunque prout ipse legi in Diplo-
mate foundationis, & privilegiorum con-
firmatione à Ferdinando Secundo, mihi
originaliter communicatò à Celsissimo &
Reverendissimo Principe & Episcopo La-
bacensi CHRISTOPHORO SIGIS-
MUNDO, ex Comitibus ab Herberstein.

3139 Dicendum 3. Advocatis Ecclesiæ vi
Advocatie, nullum esse Jus, ut ipsi, à
tempore Parochi mortui, usque ad inve-
stituram novi, facta recta domus Paro-
chialis conservent, vel reparent, præfer-
tim ex bonis defuncti. 1. quia vi Advoca-
tiae nullam habent administrationem ex
n. 3119. Secundò constat ex n. 3092.
cum enim Jus Patronatus vel Advocatiæ
ex ædificatione, constructione, vel do-
tatione Ecclesiæ competat Laicis non ex
debito, sed gratia & beneficio Ecclesiæ
constat ex n. 3061. & 3078. iniquum est,
jus illud velle extendere contra Ecclesi-
am, & ejus bona, ultra id, quod ab Ec-
clesiâ concessum est. Et ideo negandum
est, quod dicit Beckmannus cit. Advoca-
tis Ecclesiarum vi Advocatiæ compete-
re Jus exigendi rationes ab Administra-
toribus bonorum Ecclesiæ ex n. jam cit.
Quæ vero adducit ex Laymano citato,
falsa sunt, nam Layman in toto illo c. 13.
nec verbum de his dicit; imò ibid. n. 11.
ex Panormitano, & Andr. Gail expressè
docet contrarium, nimirum curam re-
rum temporalium Patrono Laico non ita
competere, ut aliquam *jurisdictionem*,
vel *administrationem* vendicare, aut *ra-
tiones exigere possit*. Ejus verba retuli-
mus superius. Et licet Pirhing de Jure
Patron. n. 78. doceat, Advocatum Ec-
clesiasticum, posse rationes exigere de
temporalibus Ecclesiæ, non autem Lai-
cum: de utroque tamen negandum est,
quantum est *vi juris Advocatiæ*, ut dixi-
mus n. 3133. & 3119. quamvis aliter
fieri possit per Privilegium, vel consue-
tudinem approbatam à Papa, ut not. Pir-
hing loco citato, aut etiam viã concor-
diæ, ut constat ex cit. num.

3140 Dicendum 4. Clientes, vi clientelæ
non obligari ad præstandum de jure mu-
tuum auxilium Advocatis, seu Protecto-

Tom. III.

ribus suis Tutelavibus ex n. 3131. nec vi
clientelæ obligari suis Advocatis, seu
Protectoribus præstare collectas, seu con-
tributiones: sic Andr. Gail. l. 2. observ. 54.
constat ex dict. n. 3127. nec vi Advoca-
tiae suæ habere jus à suis Clientibus priva-
tis, mutando domicilium, Clientelæ
renuntiantibus, exigendi jus, seu censum
emigrationis. Constat ex n. 3128. nec
jus, ut sibi à suis Clientibus gratis præste-
turalbergaria, hospiratura, vel fodrum,
constat ex n. 3130. nec Vice-Dominos,
vel Advocatos Tutelares Ecclesiarum, vi
Advocatiæ, ullum habere jus, ab Eccle-
siis aliquid temporale exigendi, constat
ex n. 3136. & seqq. nisi modicum, si
hoc cum consensu Superioris Ecclesiastici
in ipsa fundatione reservarunt. Constat
ex n. 3099. ubi diximus hoc illis non pro-
hiberi.

Dicendum 5. si Patroni tutelares Eccl- 3141
siarum in perceptione fructuum, proventu-
um vel obventionum, quorumcunque be-
neficiorum, ex quacunque causa, vel occa-
sione se ingerant, etiam præsensã consue-
tudine, eos Jure Patronatus ipso jure, seu
facto privatos esse constat ex n. 3097. &
seq. Similiter, Patronatos & Advoca-
tos Ecclesiarum, bona illarum in propri-
os usus convertentes, vel illa usurpare
præsumentes, Jure Patronatus & Advoca-
tiae ipso jure privatos esse constat ex n.
3099. sive hoc faciant per se, sive per
suppositas personas; & incurrere excom-
municationem Papæ reservatam ex n.
3097. item Patronis & Advocatis Eccl-
siarum, nullum esse jus vi Patronatus,
vel Advocatiæ, se ingerendi, aut immi-
scendi in his, quæ spectant ad Sacramen-
torum administrationem. Nec in his,
quæ spectant ad visitationem ornamen-
torum Ecclesiæ ex n. cit. nec in his, quæ
spectant ad visitationem bonorum stabi-
lium, seu fabricarum, vel proventuum,
nisi quantum illis competit ex institutio-
ne, vel fundatione, ex n. 3133. Et
hoc non obstante jure inspectionis de quo
dictum est n. 3094.

Dicendum 6. Advocatis Ecclesia- 3142
rum hodierni temporis non prodesse
exempla Advocatorum, qui olim exer-
cuerunt administrationem & jurisdic-
tionem in bona & Clientes Ecclesiarum à n.
3109. & 3127. non esse de substantia Ju-

ris Advocatiæ, quod Clientes eis debeant præstare annuum honorarium ex n. 3118. Patronis & Advocatis Laicis Ecclesiarum sub excommunicatione sententiæ ferendæ prohibitum esse, tractare negotia Ecclesiastica non modò spiritualia, sed etiam alia ex n. 3097. Prælatos Ecclesiasticos non debere iudicio Laicorum disponere de negotiis Ecclesiasticis, præsertim spiritualibus ex n. 3102. & seq. vel propter prohibitionem Laicorum omittere, exercere iustitiam Ecclesiasticam constat ex n. 3094. & quoniam Advocatis Ecclesiarum, vi Advocatiæ, nullum est Jus in bona Ecclesiarum, vel personas, iniquè fieret, si propter usum iustitiæ Ecclesiasticæ, hujus Administratoribus ab illis temporalia clauderentur, prohibendo illis perceptionem fructuum, ut apertè constat ex n. 3097. Et ratio est, quia talis prohibitio manifestè violat immunitatem Ecclesiasticam, nimirum usum Juris spiritualis, in quo Jure formaliter consistit beneficium Ecclesiasticum. Nec obstat longævus, quem allegant, usus. Nam hic locus non habet, præsertim si talis sit de quo loquitur Farinacius à nobis relatus n. 3127. nam ut consuetudo det, aut patriat Jus, requiritur tacitus consensus populi, vel eorum, qui ea teneri debent; & præscriptio, sine possessione pacifica non procedit. Certum autem est, quod Laici in suis consuetudinibus & præscriptis contra Clericos & bona Ecclesiarum, frequentissimè & communiter habeant Clericos reclamantes. ergo V. n. 3127.

3143 Hæc intelligenda sunt de Jure Advocatiæ specialiter acceptæ; plura enim quandoque Advocati, etiam Ecclesiarum habent, non vi Advocatiæ, sed ex accidenti, v. g. *ratione incolatus* conjuncti cum Advocatiæ; *ratione conventionis* per Superiorem approbatæ inter Advocatum & Clientes; *ratione immemorialis usus, legitime capti*, &c. Quia verò hæc à multis non attenduntur (quamvis non bene) plures scribentes, & practicautes, quilibet jam, quod aliqui Advocati habent *ex accidentali titulo*, applicant Advocatis *indefinitè*, quo modo videtur processisse Beckmannus in his, quæ; ut retulimus à n. tribuit Juribus Advocatorum indiscriminatim, Advocatiæ Jura, quæ ex Jure Ad-

vocatiæ, sed titulis accessoriis quidam practicautes, transferens ad Advocatos *indefinitè*, etiam Ecclesiarum; hoc est, arguendo à diversis ad diversa.

Unde ulterius notandum, ex hoc, quod cum consensu Ordinariorum quædam permittantur supremis Principibus, tanquam supremis Advocatis, vel alio titulo singularis præcellentiæ; malè idem usurpari ab Advocatis inferioribus: ea qualitate destitutis; tum quia id, quod procedit de Supremo Principe fundatur in qualitate summæ dignitatis; tum quia, ut liquet ex recessu inter Augustissimum Cæsarem, & Archi-Episcopum Salisburgensem de Anno 1671. 12. Nov. in possessione immemorabili Augustissimæ Domus Austriacæ.

Et ideo, licet in dicto recessu in responsione Cæsarea, ad gravamen 10. Commissariis Salisburgensibus propositum, resolutum sit, quod, ubi cum Commissariis Cæsareis etiam Salisburgenses Ecclesiastici in rebus temporalibus Ecclesiarum cumulativè procedunt, isti Cæsareis præcedentiam concedere debeant, propter qualitatem personæ; præsertim, cum Cæsarei, & Principes terra præcedentiam etiam eo tempore, ubi Archiduces Provincias interioris Austriæ possederunt, obtinuerint; & licet hanc ipsam præcedentiam etiam prætenderint Advocati, dictis qualitatibus destituti; Cæsarem tamen in resolutione sub dato 29. April. 1674. in puncto hujus præcedentiæ statuit, quoad præcedentiam, standum esse penes resolutionem principalem de anno 1671. sub 12. Novembr. *in quantum contingit Commissarios Cæsareos*; quod autem attinet *privatos Advocatos, & Patronos*, eò restringi, ut isti Commissariis Archiepiscopi cedere teneantur cum hac tamen limitatione, ut si tales, nunc privata Advocatiæ, vel Patronatus, redirent ad Cæsarem, vel ejus Successores, Principis terræ Commissarii præcederent Archiepiscopales Commissarios in omnibus.

Ubi autem Salisburgum ad hanc resolutionem de 29. Apr. 1674. per Doctorem Carolum Ludovicum Klies Aulæ notificasset, quod alii inferiores Ecclesiarum Advocati, resolutioni Cæsareæ, de qua superius diximus, se accommodare nolint, & superius dictos actus (obsignationis

tionis inventura, Abhandlung der geistlichen Verlassenschaften / präsentiam Ecclesiasticorum in susceptione rationum. 3. Clavium ad cassam &c.) privativè quoad potestatem Ecclesiasticam exercere velint sub pretextu, quod Cæsarea resolutio Superiores eos non liget (eò quòd ipsi propter suum interesse in hoc puncto nunquam auditi sint, nec illa resolutio ad usque publicata fuerit) ac subinde rogassent, ut ob causas, quas nomine sui Principalis attulissent, Cæsar ordinaret, suam Supremi Advocati resolutionem in iis etiam locis publicari faceret, & reliqui Advocati ad debitam ejus observantiam inducantur: Augustissimus Imperator ad Intimum Græcii Consilium, 12. Nov. 1678. mandatum dedit his verbis: *Als wollet ihr an die drinnige Regierung und Cammer die Verordnung alsobalden ergehen lassen / und vermittels derselben weiters gehöriger Orten darob seyn lassen / damit gemelter Vergleich in obigen und allen übrigen Punkten / so wohl von denen in der Salzburgischen Diöces. befindlichen privatis Advocatis Ecclesiarum, also sonsten durchgehend / vollzogen / und unverbrüchig gehalten: auch all deme / so darin veranlasset / und statuert / unweigerlich nachgelebt / zu dem Ende / wann es noch nicht beschehen / bedeuter Haupt Vergleich aller Orten gehörig publiciert werde.* Vienna 12. Nov. 1678. quibus positus, rectè concluditur inferiores Patronos, & Advocatos Ecclesiarum, ubi cumulativè adsunt susceptioni rationum in Ecclesiis, quarum Patroni, vel Advocati sunt, nullo jure pratendere præcedentiam in sedendo, vel subscribendo, respectu Ordinariorum, aut Commissariorum Ecclesiasticorum.

3146 Illud etiam notandum, quod illi, qui ferè in omnibus pratensionibus contra Clericos, & bona temporalia Ecclesiarum, de illis disponendo potestate Laica, (eò quòd sint res concernentes meram temporalitatem, vel jam sit usus talis immemorialis) tueantur se hujusmodi usui, & consuetudine, hujusmodi pretextu non sint tuti coram DEO. Ratio est, quia nulla consuetudo potest dare jus, nisi gaudeat consensu legali Principis, cu-

jus constitutioni contrariatur; at potestate laicà posse disponere de Clericis, & bonis Ecclesiarum etiam temporalibus, non gaudet consensu legali Principis Ecclesiastici; quoad illos actus, qui sub pœna excommunicationis inhihentur Laicis ab Ecclesia; quando enim eos usus Ecclesia haberet tanquam rationabiles, quos sub mortali peccato inhiber, adjectâ pœnâ gravissimâ? ubi autem usus & consuetudo rationabilis non est, consuetudo nihil potest, ut certum est utroque jure.

ARTICULUS VII.

An, & qualiter Jus Patronatus alienari possit?

3147 **E**T si de hac materia pluribus locis agatur in decretalibus, de quibus in seqq. duo tamen sacri Canones specialiter in hac quæstione observandi sunt; primus est, ubi agitur de emptione, & venditione Juris Patronatus; alter, ubi generalius agitur de juris illius alienatione, quæ non tantum fieri potest per venditionem, sed etiam donationem, vel successionem hæreditariam, &c. de his igitur singillatim in seqq.

S. I.

An, & qualiter Jus Patronatus emi, & vendi possit?

3148 **D**E hoc agitur in c. de jure 16. h. 2. ubi Pontifex mandat, ut si Rudolphus Jus Patronatus comparavit (emptione, ut colligitur ex seqq.) cum inconveniens sit, vendi Jus Patronatus, quod est spirituali annexum, contractus ille irritus esse decernatur; cui accedit c. Præterea 23. eod. ubi Lucius III. sic loquitur: quoniam Advocati Ecclesiarum Jus Advocationis, donationis, vel emptionis titulo, aliisque pro sua voluntate, contractionibus, in alios transferte præsumunt, fodrum, albergaras, regium, & similia, tanquam à propriis rusticis ab Ecclesiis extorquentes: *presenti decreto statuimus, eos, sive Advocatos, sive Patronos, vel Vice-Dominos, sive custodes, vel guardias habentes, seu quocunque alio nomine censantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis, præter antiquos, & moderatos redditus, à Locorum Episcopis institutos, exigere: aut, si aliud exegerint, excommunicationi sub-*

dantur. *Contractus quoque hujusmodi, quos fecerint, vel facient in futurum, vim aliquam decernimus non habere.* *junctivè* exprimens Jus Patronatus est jus venditio directa, consequenter Simoniaca.

3149 Pro explicatione not. dupliciter emi, ac vendi, aliove modo alienari posse jus Patronatus, vel Advocatiæ, quod quis habet relatè ad Ecclesias, earumque bona; primò *directè*, sic, ut ipsum tale jus, seorsim, ac secundum se acceptum, sine respectu ad bona, quibus annectitur, alienetur: Secundò, solum *indirectè*, ac accessoriè, & per quandam consequentiam; quòd fit, cum quis directè emit vel vendit castrum, arcem, dominium, aut alia bona, quibus tale jus annexum est; id, quod dupliciter fieri potest 1. emendo, vel vendendo ejusmodi bona cum annexis, non expresso jure Patronatus, vel Advocatiæ; 2. eod. specificè expresso; quibus pranonatis:

Ex dictis juribus sequitur, emptionem, vel venditionem Juris Patronatus, vel Advocatiæ, factam directè, ac seorsim à bonis, quibus annectitur, non modò illicitam, sed etiam ipso jure invalidam esse. *Illicitam*, quia res spirituales, vel formaliter, vel annexivè tales, sine vitio simoniæ emi, ac vendi non possunt, ut diximus *lib. 5. tit. 3. de Simon. invalidam, ex dict. c. de jure*, ibi: *contractum illum irritum esse decernatis*, nimirum declarando, non irritando; & *c. præterea*, ibi: *contractus quoque hujusmodi vim aliquam decernimus non habere.*

3150 Quæstio est, an, quando quis alicui vendit omnia sua bona, in tali loco (v. g. castrum, villam, cum omnibus juribus & actionibus) etiam Jus Patronatus Venditori competens, cum ea universitate bonorum transeat in Emptorem, si Jus Patronatus specificè exprimat? ut si dicatur: *Vendo tibi hanc arcem cum omni jure, jurisdictione, & jure Patronatus.* Circa præsentem quæstionem docent aliqui, quòd non transeat, si Jus Patronatus in venditione exprimat *conjunctivè*; secus, si solum *declarativè*, primum fit, si dicatur: *Vendo tibi Arcem, & Jus Patronatus.* Secundum, dicendo: *Vendo tibi Arcem cum omnibus actionibus*, subjungendo solum postea, seu Emptori declarando ea omnia, quæ Venditor in eo dominio habuit; sic Fagnanus in *c. Ex literis*, de Jure Patron. à n. 59. quia venditio *con-*

Hinc plurium doctrina est, quòd Jus Patronatus, consistens in aliqua universitate temporalium, transeat cum ipsa universitate in eum, in quem transit talis universitas, etiam si hæc transeat in illum solum quoad dominium utile, nisi Jus Patronatus sit specificè exceptum. ex *c. 7. de Jure Patron.* Hæc regula quotidie allegatur in controversiis de alienatione Juris Patronatus, vel Advocatiæ; sed sumendam volunt cum seq. ampliacionibus, & limitationibus.

Ampliatur igitur, 1. ut procedat, etiam sine Autoritate Episcopi, ut pat. ex *cit. c. ibi: si vobis consiterit, quòd præfato militi præscripta villa, &c.* sic Fagnanus in *cit. c. ex literis n. 3.* Secundo, ut etiam procedat de jure sepultura, quòd à Laicis possidetur. Accedit enim emptioni Universitatis. *L. in modicis ff. de contrahenda emptione. & L. si mercede. §. seum fundum ff. de action. empte.* Secus tamen est in decimis, & aliis Juribus merè spiritualibus. Hæc enim non transeunt cum Universitate; Jus autem Patronatus non est merè spirituale; & ideo annexum esse potest temporalibus. Hinc decimæ in generali donatione non includuntur, nisi donetur Ecclesiæ tale Jus, quod in se habet jura temporalia & spiritualia, ut præbenda. Et ideo Episcopus donans villam cum omnibus non transfert jura spiritualia. Sic Fagnanus in *c. Ex literis. de jure Patron. à n. 8.* Et quamvis prohibitum sit Jus Patronatus transferre per contractum non gratuitum *c. quia Clerici*, ut not. Fagnanus *cit. hoc tamen intelligitur*, si transferatur directè, non autem si solum accessoriè cum universitate.

Ampliatur 3. ut procedat regula, licet universitas transfret solum quoad utile dominium v. g. si alicui concederetur in emphyteusim, ut colligitur ex *cit. c. ex literis*, ibi: *etiam si Universitas Coadjutori detur solum ad firmam*, hoc est, ut exponit Alagona hic, quoad dominium utile, vel ut vult Fagnanus *cit. n. 12. ad censum annum*, qui tamen censet id procedere, si translatio Universitatis fiat in perpetuum, vel ad longum tempus. Ut autem hæc procedant, requiritur, quòd univer-

fitas quoad dominium vel saltem utile transferatur. Et ideo, qui villam v. g. accipit solum in pignus, licet illi annexum sit Jus Patronatus, non acquirit Jus Patronatus, quia in pignoratium nec directum, nec utile dominium rei pignoratæ transit. Sic Fagnanus cit. n. 16.

3154 Præter hæc not. si Jus Patronatus castrum, vel arci alicui annexum sit, non propterea castrum posse carius vendi; aliàs tacite venderetur Jus Patronatus; sic Azor p. 2. l. 6. c. 20. q. 8. Castropalaus tr. 13. D. 2. p. 4. n. 10. Not. 2. Contra Suar. lib. 4. de Simon. c. 57. n. 13. Simoniacam venditionem Juris Patronatus esse invalidam. Illud enim in neminem transferri potest, in quem Ecclesia non consentit. Nam hoc jus ex voluntate Ecclesie communicatur, & non aliter: in emptorem autem Simoniacum Ecclesia non consentit: Sic Azor cit. q. 8. Not. 3. per universitatem rei, cum qua Jus Patronatus illi annexum, accessorie transit, hoc loco intelligi; non rem aliquam particularem, sed eam, cui jura universitatis, ut est civitas, castrum, pagus, villa, aut fundus, cui jura, ut jurisdictio, servitutes, onera, actiones &c. annexa sunt; sic Azor cit. & Abbas c. ex literis de consecr. Ecclesie. n. 10.

§. 2.

An Jus Patronatus vel Advocatia per hæreditariam Successionem transferri possit in alios?

3155 **R**esp. posse cum universitate bonorum, quibus annexum est, idque vel ex testamento, vel ab intestato; nec solum ad hæredes suos, seu descendentes, sed etiam ad extraneos, sive mares, sive foeminas c. 1. de Jure Patronatus ubi dicitur, quod Ecclesia inter hæredes Patroni dividenda non debent, & si similitates insurrexerint, propter quas Sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit: si aliter provideri non poterit, præcipiatur ab Episcopo, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec ad concordiam redeant, & Ecclesia Sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum Ministerium valeat exercere. Pro hujus explicat. Not. dupliciter jus Patronatus alicui competere posse 1. ratione personæ, quod tibi,

tuisque hæredibus & Successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Romano Pontifice concessum; aliud, quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, & prædii, cui est ex fundatione jus Patronatus annexum. Primum voco Jus Patronatus personale, quia à rebus, & possessionibus est distinctum, & personam comitatur. Secundum est reale, quia rebus ipsis inhaeret, quibus positus, dicendum hoc Jus Patronatus successionem omnino acquiri posse; constat 1. ex textu dicti c. 1. ubi hoc aperte supponitur. 2. ex c. Considerandum 16. q. 7. ubi Gregorius, considerandum, inquit, est, de Ecclesiis, qua inter Cohæredes divisa sunt, quatenus, si secundum providentiam, & admonitionem Episcopi, Cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Episcopi potestate maneat, utrum eas consistere permittat, aut reliquas inde auferre velit.

Præter hæc not. Jus Patronatus personale quidem transire in hæredem, ut dictum est, cum universitate bonorum; non autem, si quis institutus sit in certa re. Nam talis habetur instar Legatarii L. pen. C. de hæred. instit. nisi tamen illa res certa contineat universitatem bonorum. c. ex literis 7. h. 2. quod loquitur de villa alicui in firmam, hoc est quoad dominium utile concessa.

Not. 2. quando sunt plures Patroni hæredes, jus præsentandi non esse penes singulos, sed omnes collectivè, & in solidum; secus est de reliquis effectibus Patronatus c. perlatum 1. h. 2. Hinc talibus non licet convenire, ut unus habeat Patronatum in una parte Ecclesie v. g. in uno altari; alius, in alia parte; colligitur ex integra lectione cit. c. 1. Nec licet illis, redditus, & possessiones Ecclesie inter se dividere, sic, ut quis sit Advocatus horum, alter aliorum. Abb. in cit. c. 1. n. 6. quamvis liceat illis convenire, ut unus præsentet, cum primò Ecclesia vacaverit, alter cum secundo; & sic deinceps. Clement. plures 32. §. ut facilius, de Jure Patron. Nam hæc divisio juris Patronatus est solum ratione temporis.

Not. 3. licere illis etiam facere divisionem ratione locorum, seu Ecclesiarum, ut unus præsentet in hac, alter in alia

alia Ecclesia, idque ad facilitandas provisiones Ecclesiarum, & vitandas discordias inter Patronos. Clement. cit. item præsentare ad eandem Ecclesiam plures simul, vel successivè; gl. in cit. Clem. V. *liberè*. Sed hoc intellige de illis, qui possunt variare, ac fundationem fecerunt ex bonis patrimonii. gl. ibid. V. *præsentare*.

3159 Quæstio ulterior est, 1. An Jus Patronatus transeat ad hæredem fidei commissarium? R. quod communis sententia negat, volens illud manere penes hæredem directum; sic Vivianus de Jure Patron. l. 1. c. 2. n. 73. sed affirmativam teneri à Zoëtio de Jure Patron. & Molina nostro tr. 2. de Jus. D. 138. qui ait, affirmativam sufficienter probari, quod argumenta sententia negantis intentum non probent efficaciter. Nam, 1. Jus Patronatus Ecclesiasticum non continet solum honorem, sed etiam commodum, pretio æstimabile, nimirum Jus alimentorum in casu inopiæ, ut dixi n. & possit in dotem dari accessorie cum bonis, quibus annectitur. Nam Jus Patronatus cum universitate rerum, & jurium transit, c. *ex literis*. 7. h. r. Nec obstat, quod Jus Patronatus non acquiratur jure hæreditario, nimirum *directè*, universitatem enim bonorum naturaliter sequitur, accessorie, & tanquam aliquid annexum; non tanquam aliquid hæreditarium; & tamen jus sepulchri, & Advocatia civilis, non transeat ad hæredem fideicommissarium, (quia de his jure civili sic cautum est) aliud tamen est de Jure Patronatus Ecclesiastici, secundum Canones. Hoc enim competere potest etiam non hæredi, jure accessionis (cum sequatur universitatem bonorum, quibus annexum est) qualis est universalis possessor bonorum, imò etiam usufructuarius. Barbosa in c. *ex literis*. 7. h. r. n. 7.

3160 Quæstio est 2. an divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus Patronatus? R. si bona dividantur æqualiter inter hæredes, Jus Patronatus manet penes omnes in solidum, cum dividi non possit ex dictis, & non sit major ratio pro uno, ac altero; & ideo c. 1. h. r. prohibetur divisio Ecclesiæ inter hæredes, quibus adde, si quis hæredum accepit minus de bonis, compensationem ad æqualitatem non posse fieri adjudican-

do illi Jus Patronatus; quia hoc non recipit æstimationem sine simonia; Sic Abbas in c. *querimoniam* 9. h. r. n. 3. & quamvis in c. *ex insinuatione* 14. h. r. dicatur, quod Patronus etiam sine consensu Episcopi possit jus suum alteri cedere; intelligitur tamen de cessione facta Compatrono, sine interventu pretii; de quo V. Barbosa in dict. c. 14. n. 5.

Quæstio est 3. ad quem pertineat Jus Patronatus gentilicium, extincta familia? *Gentilicium* dicitur, quod servatur illis, qui sunt de familia; seu agnatione fundatoris, quo posito R. illud, extincta familia, non transire ad hæredes extraneos, agnatorum, si fundator expressè voluit, ut tantum pertineat ad agnatos, seu illos, qui sunt *de familia*. Et tali casu Ecclesia fit libera. Idem est, si sit reliquum *masculis tantum*; Fagnanus in c. 1. h. r. à n. 22. secus est, si fundator non restrinxit ad *familiam*, & agnatos *tantum*, idque ex provisione legis. Nam in hoc puncto casus in fundatione omisus, extincta familia relinquatur sub dispositione juris communis. Nec obstat, quod fundator dixerit: *Volo Jus Patronatus manere penes meam familiam*, esto non apponat particulam taxativam *tantum*; hoc enim intelligitur *tandem*, *quandiu illa extat*, non autem secus.

Coeterum, etsi *familia* appellatione in dubio veniat familia continue, seu passivè, prout scilicet continet omnes agnatos etiam transversales, ut tenet Card. Seraph. decis. 1438. n. 4. tamen, quando constat testatorem sensisse *tantum* de familia activè, seu effectivè, veniunt solum descendentes ab ipso testatore; non autem transversales, ut notat Surdus *conf.* 247. n. 12. & Barbosa *de appell. verb. appell.* 94. n. 2. ubi ampliat, & multifariam limitat positam resolutionem.

Familia appellatione comprehenduntur 3161 foeminas, sumitur ex *auth. de restit. fideicom.* l. *voluntas* c. de fideicom. & tenent Alex. *conf.* 51. n. 12. & Card. Tusch. *pract. concl. rom.* 2. lit. D. *concl.* 22. n. 4. quod amplia, ut procedat, etiam si dictum esset, ut bona remaneant *in familia*; imò, si diceretur, ut conserventur *in familia*; licet ejus filii non comprehendantur. Vide plura ad hanc rem apud

apud Barbosam citatum à n. 16. & à n. 25. ubi late pro utraque parte discutit, an familia appellatione veniat femina nupta ad fideicommissum quod Testator voluit remanere in familia.

Deinde ut magis pateat quousque extendatur familia significatio: si ponatur à testatore conditio, ut hæres, vel Legatarius ineat matrimonium cum aliqua de familia, intelligi debet de persona, quæ sit in gradu permisso à Jure Canonico, juxta Sanchez de matr. l. 1. D. 33. n. 9. Deinde familia nomine in testamento, quando plures sunt familiae ejusdem cognominis, venit illa tantum, de qua natus est ipse testator, ut docet Menochius conf. 233. à n. 16.

3163 Præter hæc not. familia appellatione in prohibitione alienationis, non contineri extantes ultra quantum gradum, nisi facta sit prohibitio per verba præcisã, & universalia: puta, si testator dicat quod vult bona sua perpetuo apud suos, seu in sua familia remanere: quia tunc venient sine termino, ut tenet Steph. Marchin, concl. 228 p. 9. Familia sua appellatione in testamento veniunt descendentes à testatore, ut tradit Menoch. conf. 1177. à n. 5. & 7. subdit, quod testator vocans familiam, ut in ea bona conferentur, intelligitur solum vocasse suam, & n. 10. dicit, quod familia sua recta, vel transversali relicta, censetur de transversaliibus inter se, à testatore tamen descendentibus.

3164 Quæstio est 4. an Jus Patronatus hæreditariâ successione transeat ad Monasterium? B. posse accessorie, si à Patrono instituat hæres universitatis bonorum, cui annexum est; vel, si in Monasterio bonorum capaci profiteatur, quia per talem ingressum omnia ipsius bona, de quibus ante non disposuit, transeunt ad Monasterium, ut aliàs dixi in tr. Theol. de Jure, & Just. & docet Ascanius Tambur. de jure Abbat. tom. 3. D. 9. q. 28. à n. 1. si autem illud habuit solum jure sanguinis, penes Monasterium manet, dum professus vivit; & post ejus mortem, transit ad hæredes consanguineos.

Tom. 111.

S. 3.
Quibus aliis modis Jus Patronatus possit alienari?

PRIMA quæstio est, an Patronatus per donationem possit ad alios transire? de hoc agitur 1. in c. illud s. h. r. ubi dicitur: illud prætereundum non est, quod, si laicus, Episcopo inconsulto, Ecclesiam non vacantem concedit religiose domui, & postea, cum vacaverit, ad præsentationem ejusdem Laici Clericus ibi fuerit per dioecesanum Episcopum institutus: prior concessio secundam institutionem, quo minus habeatur rata, & firma, non potest aliquatenus impedire: cum illa concessio de jure nullius potest esse momenti, tum quia de re non vacante facta est, tum quia Laicus sine autoritate Episcopi nemini potest Ecclesias dare, licet religioso loco Jus Patronatus conferendi liberam habeat facultatem. Si verò Jus Patronatus, vacante Ecclesia, religioso loco contulerit, & aliquis sine præsentatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesia institutus, jus secundum rigorem juris est institutio irritanda.

Deinde in c. Unico cod. in 6. ibi: si Laicus Jus Patronatus Ecclesia sibi competens, eidem, vel alteri Ecclesia, seu loco religioso duxerit conferendum: hujusmodi collatio (quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit) efficax est censenda; per præfatam tamen collationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuit, nolumus in aliquo derogari. Ex his juribus sequitur 1. quod Laicus, habens Jus Patronatus jure proprio, sive privato, possit illud etiam sine Episcopi consensu, donare, etiam solitariè sumptum, Ecclesia, Monasterio, vel alteri loco Religioso; ratio sumitur ex cit. c. illud, ibi: licet religioso loco Jus Patronatus conferendi liberam habeat potestatem, & c. unico, ibi: quamvis absque assensu Episcopi (nimirum collatio Juris Patronatus) facta Ecclesia, efficax est censenda.

Sequitur 2. quod etiam possit Jus Patronatus sibi competens, absque assensu Episcopi, donare ipsi Ecclesia, cujus Patronatum habet; patet ex c. unico, ibi: si Laicus Jus Patronatus, sibi competens, eidem, vel alteri Ecclesia, seu loco religioso duxerit conferendum, &c. ut supr. & tali casu Ecclesia prius Patronata, re-

Zzz

dit ad

dit ad naturam suam, & liberatur à manu Laicorum, evaditque libera.

Sequitur 3. idem posse Patronum, etsi Clericus sit, si Jus Patronatus ei competat jure proprio; non autem, nomine Ecclesiæ; nam hujus res sine Superioris Autoritate, & aliis juris solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitis, non potest alienare, ut constat *ex tit. 13. de rebus Ecclesiæ alienand. vel non.*

3168 Sequitur 4. Patronum Laicum Jus Patronatus non posse donare Laico non compatrono sine assensu Episcopi; nam facultas & gratia Patronis Ecclesiarum concessas per ordinem ad transferendum *directè* Jus Patronatus concessum, sine assensu Episcopi, porrigitur solum ad casum, quo donatarius est eadem, vel alia Ecclesia, aut locus pius, ut constat *ex c. unico in n. 3166. & quia etiam donatio est quædam alienatio, ut diximus tit. 13. alienatio autem rei Ecclesiasticæ (qualis est Jus Patronatus) exigit de jure assensum Superioris Ecclesiastici, etiam hic intervenire debet; quia exceptio contenta in præcæditatis juribus non cadit supra donationem factam Laico.*

3169 Dices: ergo saltem poterit illud donare alicui Clerico. *re. cum dist. illati: ergo saltem poterit donare alicui Clerico sic, ut illud habeat ratione Ecclesiæ C. ut habeat tanquam persona privata; & ratione sui N. illatum. Quando autem dicitur, quod Patronus Laicus, Jus Patronatus, sibi competens jure proprio, etiam inconsulto, & absque assensu Episcopi, possit donare eidem Ecclesiæ, vel Clerico ratione Ecclesiæ, dupliciter intelligi potest, 1. si Patronatum habeat in tali Ecclesia, per Ordinem ad Clericum illi providendum, quin talis Ecclesia sub se habeat alia beneficia patronata; vel, si habeat, ad illius Patronatum pertinentia; 2. si habeat sub se alia etiam ad ejus Patronatum pertinentia.*

Si hoc secundum 1. donatio erit translativa Juris Patronatus in Ecclesiam donatariam, quod donans habuit, adeoque sicut ille potuit, sic jam Ecclesia donataria, & consequenter ejus Rector ratione talis Ecclesiæ præsentare poterit ad beneficia talis Ecclesiæ, in ipsa existentia, si autem primum? donatio non erit translativa, sed solum remissiva Juris Pa-

tronatus in talem Ecclesiam, carentem aliis beneficiis ad ejus Patronatum pertinentibus. Ecclesia enim, quæ unica prius erat de ipsius Patronatu, per donationem *sibi* factam, hoc ipso liberatur à servitute, quam habuit ut à Patrono ex institutione Episcopi regeretur ab eo Clerico, quem ipse præsentavit.

Si dicas, jus illud transferri ratione talis Ecclesiæ in ejus Rectorem *re. negando dictum; nam, quando talis Ecclesiæ Rector usum hujus exercebit? an, dum est actu Rector ejus? sed sic præsentatio erit ad beneficium non vacans, quæ jure nulla est ex tit. 8. an, quando non est amplius Rector ejus? sed sic vel præsentaret nomine suo, & ut privatus, consequenter ex jure nunquam accepto; vel nomine illius Ecclesiæ? sed sic præsentaret nomine alieno, carentis tituli administrationis eorum, quæ sunt de Jure Ecclesiæ, consequenter rursus nulliter æquè, ac si præsentaret alius quicumque privatus; si vero dicas, esse penes Episcopum, jam erit Ecclesia collativa, non patronata.*

Dixi *non Compatrono c. Ex insinuatione 3171 ne 14. h. t. junctâ Gloss. V. Consultisset. Præter dict. not. 1. nos loqui de casu, quo quis donat Jus Patronatus, sibi competens jure proprio; nam si habet solum jure Ecclesiæ, in hac alienatione servandum esse, quod tit. 13. de rebus Ecclesiæ alienand. jure constitutum est. Not. 2. ex hoc, quod Episcopus det assensum Laico donanti Jus Patronatus alteri, nullum nasci præjudicium Episcopo, quoad jura, quæ habet in talem Ecclesiam. Not. 3. Si Laicus Patronatum, quem *solum* habuit jure proprio, donet Episcopo, qui jus institutionis in eadem habet, Ecclesiam fieri liberam, ut dictum est; si non *solum*? sed habuit Compatronum, Ecclesiam non fieri liberam; sed Episcopum fieri solum Compatronum; quia plus non accepit, quam alter habuerit.*

Not. 4. Quando unus Compatronorum juri suo renuntiat, Jus Patronatus in solidum manere penes alios; non esse tamen propriè donationem, quæ aliàs fiat novus Patronus; sed solum diminutionem numeri Compatronorum. Not. 5. inter *donare* Jus Patronatus in aliquam Ecclesiam; & inter *concedere* in titulum, ac incorporare alicui Ecclesiam, esse discrimen.

discrimen; illud enim potest facere Laicus loco pio; etiam sine assensu Episcopi; secus, istud; ex c. *Quod autem* §. b. e. §. de cetero. ibi: de cetero tua prudentia respondet: quod, si Laici Clericis, vel Collegiis, de concessionibus vel donationibus instrumenta confecerint in hac verba vel similia: *concessi, vel dedi Ecclesiam, & presenti charta firmavi*: si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, id, quod etiam colligitur ex c. *Illud* 8. eod. c. *Cura* II. c. *Nullus* 17. eod.

3173 Altera est quaestio, an Jus Patronatus possit permutari? & permutationem rerum spiritualium inter se, non posse fieri sine Autoritate Praelati, seu Superioris Ecclesiastici, ex c. *quaesitum* §. de rerum permutat: Jus autem Patronatus numeratur inter res spirituales, ex dict. n. 3060. minus autem permutari potest directe cum re temporalis; sic enim foret permutatio simoniaca, & constat ex c. *quaestiones* 6. & ult. eod. secus est accessorie, qualiter diximus, accessorie vendi posse; eo tamen pacto, ut novus Patronus non possit pro libitu mutare Rectorem Ecclesiae patronatae in ea legitime institutum, ex c. *Querimoniam*. 9. eod. ibi: *absurdum videtur omnino*, ut singulas Patronorum secundum humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum Ordinationes *mutentur*; & vicissitudines Ecclesiarum ab Advocatis, vel aliis, praesumantur; cujus ratio est, quia Clericus institutus in Ecclesia jus principale non habet a *presentando*; sed, *instituyente*; ab hoc enim habet jus in re; unde resolutio jure primi Patroni, eoque in aliud transmissio, non resolvitur Jus institutionis; cum non pendeat in conservari a Jure Patroni.

3174 Dicendum ulterius, Jus Patronatus concedi posse in feudum, vel emphyteusim, sed solum accessorie, qualiter nimirum etiam vendi potest. Nam in Vasallum, vel emphyteutam cum re concessa conceduntur consequenter fructus ejus; at Jus Patronatus, in quantum importat Jus praesentandi numeratur inter fructus rei, cui annectitur; sic Castropalaus *tom. 2. tr. 13. D. 2. p. 4. n. 13.* cum Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 11.* ratio su-
Tom. III.

mitur c. *ex literis*. 7. h. e. ubi Jus Patronatus annexum Villa, alteri solum quoad Jus utile indulta, sine exceptione Juris Patronatus, non Dominae directae, (erat enim Abbatissa, quae illi villam concesserat in firmam, hoc est, quoad dominium solum utile) sed alteri adjudicatur, ut exponit Barbosa *ibid. n. 1.* vel locationem, ut alii. Et quoniam etiam Locatario universali sine exceptione conceditur usus rei locatae, si rei locatae annexum sit Jus Patronatus, accessorie etiam hoc ei concedetur, quoad usum; sic Castropalaus loc. cit. negante id P. Azor *cit. q. 11.* quod locatio non concedat Conductori dominium rei directum, vel utile; sed recte excipitur *usus*. Secus tamen dicendum est de re in pignus datae Creditori, licet ei annexum sit Jus Patronatus. Quamvis enim talis res oppignorari possit; cum talis contractus nullo Jure interdictus sit; Jus tamen Patronatus nec indirecte transit in pignoratitium; nullus enim usus pignoris ei conceditur, nisi solum necessarius securitati pignoris.

§. 4.

An venditio Juris Patronatus jure valeat?

NON loquimur de venditione Juris Patronatus indirectae & solum accessoria (hanc enim valere, ac licere constat a n. 3174.) Sed illicita, & directa, quando nimirum seorsim, ac solitarie sumptum, contra juris prohibitionem venderetur. Validam esse talem venditionem affirmat Suarez *l. 4. de Simon. c. 57. n. 13.* quia nullibi invenitur irrita ipso jure: nam licet in Concilio Trident. *Sess. 25. c. 9.* de reformat. dicatur, *ut nullus jus Patronatus transferre in aliquem contra canonicas sanctiones praesumat, alioquin ipso jure Patronatus privatus existat*; non inde inferitur translationem nullam esse, sed esse annullandam, sicuti diximus de alienatione bonorum, ab haeretico facta, ante declaratoriam sententiam, quae quidem alienatio valida est, esto rescindenda veniat.

Probabilius tamen affirmat Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 8.* Garcia *p. 5. c. 9. n. 9.* & alii, probatur: quia Patronatus in neminem

Zzzz 2

trans-

transferri potest, nisi in quem Ecclesia consentit. Totum enim jus, quod habent Ecclesiarum Patroni, pendet ex consensu, beneficio, & gratia Ecclesiarum; unde tantum & non plus habent, quam ipsis concessum sit, at in venditionem, & emptionem directam Juris Patronatus non consentit, sed potius reprobatur tanquam simoniacam, in *c. Quamvis pactum de pactis*; *c. Præerea* de transact. *c. ea que* 1. 9. 3. nec ullibi reperitur huic actui, contra prohibitionem factam, nihilominus concedere valorem; qualiter id declarat de matrimonio contra interdictum Ecclesiarum, & similibus; ergo. Accedit aperta dispositio Trident. *Sess. 25. de reform. c. 9.* ibi: *nec dictum Jus Patronatus, venditionis, aut alio quocunque titulo, in alios contra canonicas sanctiones transferre presumant; si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti penis subjiciantur, & dicto Jure Patronatus ipso jure privati existant.*

3177 Ex hoc autem oritur quæstio, penes quem in tali casu sit Jus Patronatus? cum enim ea venditio, & emptio ipso jure irrita sit, penes emptorem esse non poterit; cum si in eum invalidè, ac consequenter nulliter translatum sit? Castropalaus *cit. n. 12.* meritò censet, manere penes venditorem, quousque sententia declaratoria criminis accedat; nam, cum prius apud eum fuerit, nec per istum contractum (utpote jure nullum) sit ablatum, aut in alium translatum, retinere poterit, esto post sententiam declaratoriam criminis in poenam rei, auferatur; id quod habetur in *c. Quia Clerici* 6. *h. t.* ibi: quia Clerici quidam Advocatias Ecclesiarum comparant, vel quocunque modo possunt acquirunt, ut postmodum eorum filii, vel nepotes ad easdem Ecclesias præsententur: *præcipimus ut id arctius inhibere procuret, eosdem advocacionibus taliter acquisitis, appellatione postposita, spoliando.*

3178 Dices: in *c. de Jure* 16. *h. t.* solum dicitur, quod, si quis Jus Patronatus comparavit (emptione nimirum directâ, & per se) *contractus ille irritus decernatur*; ergo non est ipso jure irritus, quod etiam videtur insinuari dict. *c. Quia Clerici* ubi solum præcipitur, ut ejusmodi Emptores, advocacionibus, seu Patronatibus taliter acquisitis, etiam appellatione

postposita, *spolientur.* *Re. 1.* dato illis juribus non significari; secus tamen esse jure Trident. ibi: *ipso jure privati existant.* *Re. 2.* ly *decernatur*, posse intelligi dupliciter. 1. de decreto contractum *rescindente*; 2. de decreto illum esse irritum *declarante*, debere autem textum accipi de decreto solum *declarante*, tradit. 1. gloss. in *c. de Jure V. irritum.* 2. ostendit textus Trident. 3. evincit clarè ratio allata pro conclusione.

Altera quæstio est, ad quem deveniat Jus Patronatus, secuta declaratione criminis? sic enim non amplius etiam est penes priorem Patronum? ac demum 3. cujus sit pretium? an maneat venditori? an reddendum emptori? Ad 1. *Re.* eo casu servitutum illam, quæ imposita ei fuerat, ut sustineret Clericum præsentatum à Patrono, cum is propter delictum, declarato crimine, patronatu spoliatur, interire, ac Ecclesiam fieri liberam; sic Barbosa in *cit. c. 9. CC. Trid. n. 81.* Vivianus, & alii ibid. relati. Ad 3. autem respondet idem Barbosa in *cit. c. de Jure n. 5.* & Abbas ibid. *n. 3.* pretium datum pro emendo Jure Patronatus, nec Emptorem, nec Venditorem habere debere; Sed Ecclesiarum tribuendum, cui ob simoniam illata fuit injuria; pro eadem sententia relatis ibid. Zabarella, Lambertino, &c. Sed de pretio simoniacè accepto, an, & cui restituendum sit ex professio agimus *l. 7. 2. n. 568.* quo me remitto.

ARTICULUS VIII

De præsentatione, seu actu præsentandi.

Quoniam in præmissis dictum est, Jus Patronatus, prout hic accipitur, principaliter definitur ad præsentationem, vel nominationem, seu actum, quo Patronus pro vacante Ecclesia, suo Patronatui subiecta, nominat, vel præsentat Clericum, ei, cui de jure competit, ut per ipsum in ead. instituat; circa hoc ipsum autem varii casus contingant, quibus plerumque controvertitur, an talis præsentatio, vel tali modo facta, recipienda, vel rescicienda sit? ut cum Patroni discordant; cum lis pendet super Patronatu; cum Patronus variat; cum præsentatio non contingit intra certum tempus &c. de his hoc articulo agendum erit.

§. I.

Intra quod tempus presentatio fieri
debeat?

3181 **S**icut presentatio facta à non habente
jus presentandi nulla est; sic nulla
pariter est, nisi fiat cum circumstantiis,
quibus Ecclesia presentationis valorem
alligavit; cum totum Jus Patronatus, re-
late ad Ecclesias, Patronis competat ex
sola gratia Ecclesie. Hinc presentatio
ad Ecclesiam facta prius, quam ipsa va-
cet, jure nulla est, ex dict. hic tit. 8. Ut
questio proposita resolvatur, distinguen-
dum est inter Patronum Laicum, & Pa-
tronum Ecclesiasticum, & observandum,
unde quis dicitur Patronus Laicus, unde
Ecclesiasticus? nec enim desumitur hæc
denominatio à statu personæ, habentis
Patronatum; sed ex titulo, num Eccle-
siam fundaverit, extuxerit, vel dotave-
rit ex bonis patrimonialibus, vel Eccle-
siasticis? ut exposuimus initio, quibus
præmissis:

3182 Dicendum, Patrono Laico concedi
4. Ecclesiastico. 6. menses, intra quos no-
minare, vel presentare valeat; prima pars
constat 1. ex c. quoniam 3. h. 2. ubi dicitur,
quod, si lis orta inter Patronos, *intra 4.
menses non fuerit finita, Ordinarius, non
expectat à ulterius eorum presentacione, va-
canti Ecclesia provideat, ubi: & id ipsum
etiam faciat, si de jure Patronatus qua-
estio emerferit inter aliquos, & cui com-
petat? intra quatuor menses non fuerit de-
finitum.* Deinde ex c. cum propter 27. eod. ubi
dicitur: si questio Juris Patronatus inter Pa-
tronos non definiatur *intra quatuor menses,*
sine illorum præjudicio Episcopus provide-
bit, ibi: *mandamus, quatenus, si de Jure
Patronatus questio emerferit inter ali-
quos: & ab eo, cui competit, inter qua-
tuor menses non fuerit definitum, ex tunc
Ecclesiam ipsam de persona non differas ido-
nea ordinare: ita, quod illi ex hoc non de-
beat imposterum præjudicium generari, qui
jus evicerit Patronatus.* Secunda pars et-
iam constat ex c. Unico eod. in 6. §. verum
ibi: verum licet Patronus Laicus ad præ-
sentandum tempus habeat *quadrimestre*
duntaxat; *Ecclesia tamen, vel Monasteri-
um (cui facta est à Laico juris Patronatus
collatio) tempus habet semestre.* Et omni-

no quantum ad presentacionem pertinet,
non ut Patronus Laicus, sed ut Patronus
debet Ecclesiasticus reputari ex quo etiam
confirmata manet pars prima.

Pro majori expositione dubiorum oc- 3183
currentium in hac ipsa materia quoad tem-
pus faciendæ presentacionis, quæri pot-
est. 1. An hoc tempus semestre vel quadri-
mestre currat, seu computetur à die Eccle-
siae vacantis? vel primum à die, quo Pa-
tronus notitiam acquisivit de Ecclesie va-
catione; 2. quod solum à die notæ vaca-
tionis, ratio sumitur à fine, propter quæm
tempus certum illis pro faciendâ presenta-
tione præfinitum est à jure; nimirum ne
Patroni sint negligentes, unde contingat
Ecclesias diutius vacare; hæc autem ne-
gligentia non committitur ab ignorante
vacacionem; sic Garcia de benefico p. 10. c.
2. à n. 34. Azorp. 2. l. 6. c. 21. g. 11. & alii.
Quare, qui Patrono Laico presentanti
opponeret, *presentacionem non esse factam
in tempore,* a. g. factam unâ hebdomadâ
post elapsos 4. menses à die beneficii vacan-
tis, nihil ageret, nisi etiam probaret,
quod eam primò fecerit unâ hebdomadâ
post elapsos 4. menses à die vacationis no-
tæ; quia non probatâ scientiâ, præsumitur
ignorantia, præsertim si de aliquo dicatur,
quod sciens voluerit omittere jus suum,
ipso negante; nisi signis, & conjecturis
verosimilibus contrarium credibiliter sua-
deatur, altero excusationibus suis adver-
sus eas non prevalente.

Quæri potest 2. quid dicendum, si 3184
plures sint Patroni ejusdem Ecclesie, &
duo scientes, tertio ignorante vacatio-
nem, neglexerunt presentare intra tem-
pus jure præfinitum? 2. in tali casu excludi
presentacionem eorum, qui tempus notæ
vacacionis neglexerunt; & admittendam
presentacionem ejus, qui non neglexit,
sed presentavit, dum adhuc durabat tem-
pus concessum à die notæ vacationis; cu-
jus ratio est; quia talis verè habet jus præ-
sentandi ad vacantem Ecclesiam, intra
tempus v. g. *quadrimestre* à die notæ vaca-
tionis; nec propter aliorum negligentiam
eo spoliari debet, ubi non probatur in
eo scientia, sic enim non probatur in
negligenter. Sic Garcia cit. n. 4. nec enim
innocens privari debet jure suo.

Quæri potest 3. an tempus faciendæ 3185
presentacioni concessum, sit *continuum,*

Z z z z 3

confe-

consequenter comprehendat omnes dies etiam feriatos? Responsio est affirmata; quam etiam tenet Garcia *cit. c. 2. n. 42.* & Barbosa *de potest. Episcopi p. 3. allegat. 72. n. 127.* & alii. Nam actus præsentationis potest fieri etiam diebus feriatis, & extrajudicialiter; cum sit actus merè voluntarius. Si tamen justum impedimentum interveniat, dies illius non computatur, siue impedimentum sit juris, siue facti. Nam in tali casu Patronus non potest dici *negligens*; quamvis in ordine ad hunc casum impedimenti discrimen sit ab eo, ubi intervenit ignorantia vacationis, illud enim probandum est; secus, ista.

3186 Quæritur potest 4. an, quod diximus n. 3182. (Ordinarium pro illa vice posse liberè providere Ecclesiæ vacanti non expectatâ Patronorum præsentatione, si lis orta inter tempus faciendæ præsentationi præfixum à jure non terminetur) procedat indefinitè? R. sermonem posse fieri de lite orta inter Patronos; vel inter præsentatos à Patronis, vel inter Patronos, & Ordinarium; ad 1. porro casum, R. si lis fuerit inter Patronos orta, quolibet prætentente sibi præsentationem competere, & intra tempus à jure signatum non fuerit finita, & ob hanc causam præsentationem facere omiserint, poterit Ordinarius illis omissis beneficium conferre. Deciditur expressè, c. *quoniam* de Jure Patronat. ibi; *id ipsum faciat Archiepiscopus* (nempe providere Ecclesiæ) *si de jure Patronatus questio emerferit inter aliquos, & cui competat? intra quatuor menses non fuerit definita.* Idem habetur c. *cum te.* eod. tit. ibi: *illas autem Ecclesias, de quarum Patronatu controversa fuerit, si infra sex menses, postquam vacaverint, non fuerit controversa terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare.* Verùm etiam hoc intelligi debet solùm pro casu, quo pro nullo litigantium stat possessio, sed lis mota est super possessione; non autem si solùm super proprietate, uno habente possessionem certam; cujus ratio constabit ex dict.

3187 Ad 2. casum de lite mota inter præsentatos, cujus v. g. præsentatio prævaleat? R. in tali casu pertinere ad Ordinarium, examinatis cujusque partis juribus, pronuntiare in favorem ejus, qui potiori jure gaudet; nec prius ullum eo-

rum instituere; quæ enim dicuntur in cit. c. *quoniam*, & c. *cum te. h. r.* motâ lite inter Patronos, & intra tempus debitum non factâ præsentatione, ut Ecclesiæ vacanti de Sacerdote, qui ei pacificè deserviat, canonicè non proviso, agunt de *lite inter Patronos*, super Jus præsentandi; nec extendi debet ad *litem ortam inter præsentatos.* Idem dicendum venit lite motâ uni ex præsentatis super sua habilitate; nam hæc prius decidenda est; sic enim dubium juris intervenit, an tali præsentato jus quæsitum sit ex factâ præsentatione; sic Barbosa p. 3. *allegat. 72. n. 140.*

Præter hæc *Ngr.* si Patronus, intra 3188 tempus præfixum, præsentationem neglexit, & consequenter Jus providendi Ecclesiæ vacanti tunc devolutum sit ad Ordinarium, posse istum nihilominus, si velit, concedere Patrono præsentationem adhuc faciendam, quia, quamvis in c. *sicut nobis* 2. de supplend. neglig. Prælatorum dicatur: nisi Patroni, infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum, ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas præsentaverint: ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eisdem ordinare Rectores, qui eis præesse noverint, & prodesse, rectè tamen notatur ex illis verbis: *ex tunc liceat*, quod elapso termino præscripto Patronis ad præsentandum, possit Episcopus facere gratiam, ipsum nihilominus admittendo ad præsentandum; nam verbum *liceat* denotat facultatem, & licentiam; non necessitatem; sic Barbosa p. 3. *de potest. Episc. allegat. 72. n. 170.* & alii.

§. 2.

An valeat præsentatio facta ab eo, qui est in quasi possessione Patronatus?

Quæstio procedit de possessore, cui 3189 tamen rei dominium, seu proprietas non competit. Hujus porro quæstionis resolutio habetur in c. *Consultationibus* 19. h. r. ibi: *si quis Clericus ab ordinario iudice in Ecclesia fuerit institutus ad præsentationem illius, qui ejusdem credebatur esse Patronus, & postea Jus Patronatus alius evicerit in iudicio, institutus non debet ab ipsa, propter hoc, removeri, si rem-*

si tempore presentationis sue ille, qui eum presentavit, Jus Patronatus Ecclesia possidebat; cum ex hoc ei, qui de Jure debet habere, nullum in posterum præjudicium generetur. Si verò non possidebat, sed tantum credebatur esse Patronus, cum non esset: poterit ab eadem Ecclesia removeri.

Ex hac enim decisione liquet responsio sub distinctione; quòd nimirum valeat ejus presentatio, si tunc, quando presentavit, bonâ fide possedit Patronatum; secus, si non possedit, aut malâ fide; cujus etiam ratio est, quia possessor bonâ fidei fructus, quos percipit bona fide etiam ex re aliena, facit suos; secus, possessor malâ fidei, prout ex professo tradidimus in Tract. Theol. de Jure & just. sed nominate, vel presentare Clericum, obrinere locum honorificum in Ecclesia Patronata, & in certo casu ab eadem recipere subsidium, sunt fructus Juris Patronatus, ut constat ex supra dict. & habetur etiam in c. cum Bertholdus, de re judicat. ergo.

3190 Confirmari potest ex eorum sententia, qui tales actus numerant inter fructus *industriales*, non *naturales* Juris Patronatus, ut vult Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 7. Gonzalez in regul. Mensur. Gloss. 45. §. 2. n. 11. nam in hoc industria Patroni exigitur pro deligendo: fructus autem industriales cedunt possessori bonâ fidei, imò etiam malâ, si merè *industriales* sint, ut alibi ostendimus: sed demus, esse fructum naturalem, quòd videtur probabilius dici; adhuc tamen etiam naturales possessor bonâ fidei rectè percipit, & ita suos facit, ut eadem bonâ fide absumptos, restituere non teneatur, nisi quantum inde fructus est ditior, ut ostendimus in tract. de jure & just. loc. cit. facta autem semel presentatione, & institutione subsecutâ, fructus juris presentandi (nimirum presentatio) consumptus est, quin Patronus inde factus sit ditior, nimirum accptione alicujus temporalis; hoc enim foret simonicum, ut diximus l. 5. ergo.

3191 Plura tamen dubia circa hoc resolvenda sunt; primò, quid requiratur, ut quis dicatur in possessione juris presentandi, bonâ fide? 2. an ad hoc requiratur titulus? 3. an etiam unico actu presentationis exercitè acquiratur sufficiens possessio

ad talem actum? 4. an possessor bonâ fidei rectè presentet post litem contestatam? 5. an teneat institutio ad presentationem factam à possessore bonâ fidei, licet postea per sententiam causam possessionis perdat? Ad 1. & 2. possessorem cenferi bonâ fidei qui aliquo titulo rem aliquam apud se detinet, nesciens alienum esse id, quod possidet; cum enim talis, ejusmodi rem apud se habet, ne temerè procedat, titulum aliquem, seu causam, retinendi, sibi habere debet, ex qua prudenter credat, illam sibi comperere, non alteri; sic Abbas in dict. c. Consultationibus, & Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 17. Ad 2. & 3. quòd sic, ut constat ex ratione ad 1. non tantum sufficere, quemcunque titulum; sed eum, ex quo Judicis auctoritate possideat, si non constet Judicem ex falso sibi noto procedere; quia sic possidens est extra præsumptionem doli, vel malâ fidei; sic Abbas, & Azor loc. cit.

Unde notandum, si ex aliquo titulo 3192 Judicis auctoritate quis possideret rem alienam, cui annexum est Jus Patronatus, sed sciens, ritulum esse falsum, presentationem fore nullius momenti. Hinc, si mulier petens à Judice jus insistendi certis bonis, quibus annexum est Jus Patronatus, idque titulo pactorum dotalium incumbentium, vel etiam paraphernalium, obtineat jus insistentiæ; sciens, neutrum verum esse, nullatenus validè presentaret; sic enim manifestè foret in possessione malâ fidei, quam non tollit interveniens Prætoris auctoritas, illi possessionem adjudicantis ex falso titulo, præsertim ubi Judex ipse novit nullitatem tituli, prout facillè probari potest, quando certum est, ipsum Judicem ante hoc officium, conscripsisse pacta dotalia, ac in illis ne verbum esse de talibus bonis; nec à Viro potuisse obligari alteri, utpote meo v.g. usufructuario eorum, ac de paraphernalibus nihil fuisse tali mulieri, ita Pirhing h. t. n. 86. cum Jo. Andr. Abbat. & Azor ibid. cit.

Ad 3. & 4. affirmativè, si talis actus 3193 ad effectum perductus est, hoc est, si securâ institutione presentatus, possessionem beneficii accepit, colligitur ex c. cum Ecclesia, 3. de caus. possess. & propriet. ubi jus eligendi in cujus possessione quidam Clerici se esse dicebant, illis negatum

gatum fuit, quod actus stabilendi tale jus, quod ex tribus actibus sibi competere volebant, non deductus sit ad effectum; sic Azor, & alii cum Castropalao *nr. 13. de Benefic. Eccles. D. 2. p. 4. n. 25.*

3194 Dubitari tamen adhuc potest 1. an institutio firma sit, facta ad præsentationem ejus, qui est verè Patronus? 2. distinguendum, an ille, vel alius ille ponatur in possessione, vel non? si alius? subdistinguendum, an bonæ, an malæ fidei? si nullus alius est in possessione, tenebit institutio ad præsentationem veri Patroni facta, licet non sit in possessione, secus, si alius in eadem sit? Nam fructus rei pertinent ad dominum, nisi rem alius possideat bonâ fide; sic Abbas in dict. *c. Consultationibus n. 3.* si autem alius sit in possessione juris præsentandi, sed bonâ fide, non valebit institutio ad præsentationem, nisi facta à possessore bonæ fidei, ex *n. 3189.* at si alius possideat mala fide, institutio ad ejus præsentationem facta, nulla erit. Ratio hujus est, quia non minus valor institutionis innititur validæ præsentationi, quam valor confirmationis validæ electioni; ergo sicut nulla est confirmatio, sic nulla erit institutio, si nullum sit, cui innititur.

Notandum tamen, faciendum discrimen inter casum, quo notorium foret, possessorem Juris Patronatus esse in mala fide, & casum, quo non est notorium. Cum enim in notoriis opus non sit probatione, & præsentatio, & innixa illi institutio, declaranda foret nulla, & retractanda; ubi verò notorium non esset, & verus Patronus præsentaret, non deberet quidem hujus præsentatio admitti, dum fieret causæ cognitio; nec ante sententiam possessor malæ fidei jure suo spoliari; & post latam sententiam pro verò Patrono, hujus præsentatio recipi, ac alterius, etiam secutâ institutione, præsentatio deberet retractari, sic Innocentius in *c. in lueris 5. de Restitut. spoliat.*

3195 Dubitari potest 2. an, post litem contestatam super Patronatu, qui bonâ fide Patronatum possidet, validè præsentaret, præsentatione sufficienti, ut institutio subsecuta firma maneret, esto deinde per sententiam possessio illi tolleretur, & alteri adjudicaretur? 2. quosdam existimare, posse quidem lite pendente fieri

præsentationem, dilata tamen institutione in eventum litis; quia etiam possessor bonæ fidei potest percipere fructus rei, lite pendente; sed cum obligatione illos restituendi; si contra ipsum causa decisa fuerit, ergo quamvis præsentare possit (præsentatio enim est fructus Juris Patronatus) ex ea tamen institutio sequi non poterit, cum semel facta, retractari non possit.

Mihi tamen videretur dicendum, & 3196 præsentationem, & institutionem licet, ac validè fieri; quia possessor bonæ fidei, quamdiu talis est, fructus rei bonæ fidei possidet, facit suos; & si absumat, ad nihil tenetur, etiam secutâ sententiâ, alienam fuisse, nihil aliquid adhuc exter de fructibus perceptis vel in se, vel in eo, quo factus est locupletior; sed præsentatio est fructus possessi Juris Patronatus; hanc supponitur possessor facere bonâ fidei; & secutâ institutione de præsentatione nihil superest (cum sit actus transiens) nec inde factus est locupletior; quia ponimus, eum nihil recepisse à præsentato; nec litis contestatio constituit in mala fide (quod fortasse opponi posset) ut *præcisè* est litis contestatio, ut pluribus ostendimus in *Tract. Theol. de jure, & just. ergo.*

§. 3.

An Tutor validè præsentet loco pupilli.

Supponendum etiam pupillis posse 3197 competere Jus Patronatus, ut diximus superius, cum eis acquiri possit hereditaria successione in Universitatem bonorum, cui annexum est. Ante resolutionem per hoc, quod pupillo Tutor, minori Curator constitutus sit, Patronatus non competat, Tutori vel Curatori, si annexus sit bonis pupilli, vel minoris, sed remanere penes istos, ut tradit communis; quia tamen quandoque tum ex parte sua pupillus (ut si adhuc infans sit) vel minoris (puta si sit amens vel careat maturitate judicii ad rectè præsentandum) impeditur est ad exercendum per se ipsum actum præsentationis, dubitari potest, an eo casu Tutor, vel Curator, eorum loco, legitimè præsentet vacante beneficio Patronato.

3198 *Not. 2.* à nonnullis observari discrimen aliquod inter *Tutorem*, & *Curatorem*; quod Tutor præcipue detur ad regendam *personam* pupilli; Curator autem ad bonorum *administrationem* minoris; non *personæ*; sic *Castropalaus tr. 13. D. 2. p. 4. n. 21.* ubi non tantum in casu, quo pupillus, vel minor impeditus est, ut diximus, concedit, Tutorem & Curatorem præsentare posse; quod tenet doctrina communis; sed etiam idem posse Tutorem in casu, quo pupillus sufficientem discursum habet; non tamen Curatorem; idque ex diversitate inter utrumque assignata.

3199 Coeterum magis placet communis sententia, quæ docet in hoc postremo casu Tutorem id non posse; ita tenet *Azor p. 2. l. 6. f. 21. q. 14.* *Garcia p. 5. de benefic. c. 9. n. 186.* & alii. Nam quando pupillus ipse habet discursum, non subest Tutori in spiritualibus, ut tradidimus *l. 2. tit. 1. de judic.* & tradunt Authores cit. cum *Gloss. in c. Ex eo de Elect. in 6. V. suffragium*; & ideo etiam sine Tutore valide contrahit sponsalia ex *lib. 4. tit. 2. de despons. impub.* sed actus præsentandi Clericum pro beneficio vacante est actus potestatis spiritualis, supponens potestatem annexivè spirituales, nempe Jus Patronatus, ex jam sæpe dictis, consequenter venit inter spiritualia, ergo. Unde illi differentia locus non est in spiritualibus, cum ipse pupillus sufficientem habet discursum? Hinc si ex una parte præsentaret pupillus, vel minor, ex altera verò alium Tutor, vel Curator, ubi pupillus habet sufficientem Judicii maturitatem, hujus præsentationi deberet cedere præsentatio Tutoris, cum iste non præsentet suo, sed alieno nomine, pupillus autem nomine proprio, tanquam proprietarius Patronatus.

3200 Et quoniam etiam filii familias, qui adhuc sunt sub potestate patria, in spiritualibus illis non subiciuntur, licet pater tunc eorum loco præsentare possit, quando filiis ratione bonorum, quæ habent, competit Jus Patronatus, quando ipsi nondum habent sufficientem maturitatem, qualiter id diximus de Tutore, ac Curatore; secus tamen dicendum est, si ipsi sint rationis sufficienter compotes ad

Tom. III.

illum actum, nisi pater in illis bonis habeat usum fructum, tunc enim etiam in dato casu Patri competeret præsentatio, tanquam fructus Juris Patronatus.

Difficultas est, an si bona, quibus 3201 annexum est Jus Patronatus, jure veniant ad filium spurium, vel, dum est irregularis, legitime præsentaret, dum est in tali statu? *æ.* quod sic, nam, qui est verè Patronus, alio non possidente bonâ fide Jus præsentandi, legitime præsentat; sed illegitimus & spurius potest esse verè Patronus, nam Ecclesiam ædificanti si sit fidelis sine ulla limitatione conceditur Jus Patronatus, ut diximus in præced. & constat ex *c. pia mentis, c. quicumque. c. filii 16. q. 7.* accedit, quod actus præsentandi, non sit actus publici officii; vel actus ordinis, aut exercendus, cui præjudicaret irregularitas: ergo.

S. 4.
An Maritus legitime præsentet propter Patronatum uxori competentem?

3202 IN hac quaestione distinguendum est, an Patronatus, competens Uxori sit *personalis*, an *realis*? nimirum competens ratione certorum bonorum: distinguendum est inter bona, quibus Jus Patronatus annexum est, an annexus sit bonis in dotem Marito datis? an *secus*? quo posito, *æ. 1.* quando Jus Patronatus, competens Uxori, est personale, maritum autoritate suâ non præsentare legitime; nam per conjugium jura personalia unius conjugis non communicantur alteri; nec talia sunt, quæ ad onera matrimonii sustinenda conducunt; at sine tali jure Maritus (aliunde non habens patronatum) non legitime præsentat, esto diceret, se præsentare nomine uxoris, si ipsa non consentiret; sicut si alius meo invito nomine præsentaret.

æ. 2. si Jus Patronatus sit annexum bonis, quæ habet jure proprio uxor, non datis in dotem Viro, præsentationem factam à Viro sine uxoris consensu non fore legitimam; sic *Garcia de Benefic. p. 5. c. 9.* Nam præsentatio ab eo facta, suo nomine penes quem non est Patronatus, seu Jus præsentandi, non præsentat legitime; sed in dato casu, ut ponitur, illa

Aaa 22

bona

bona Uxoris non sunt penes Maritum, consequenter nec Jus Patronatus illis annexum: ergo in dato casu maritus non præsentat legitimè suo nomine; sed nec alieno sine hujus consensu.

Ad casum autem, quo bona Uxoribus, quibus est annexum Jus Patronatus, Marito tradita sunt in dotem, censet Tiraquellus ad leges connubial. gloss. ult. n. 5. cum illis bonis etiam Jus Patronatus transire in maritum; negat verò Abbas in c. fin. de Concess. prebend. n. 8. Felinus in c. cum olim, de majoritat. & obed. Mihi videtur distinguendum secundum dicta lib. 4. an. 1585. an bona dotalia, quæ Viro afferuntur ab Uxore, tradantur tanquam *æstimata* ad venditionem, nempe sic, ut maritus soluto matrimonio teneatur non rem ipsam, sed duntaxat ejus pretium reddere? vel tanquam *non æstimata*, nempe solum ut constet de valore dotis, eo nimirum fine, ut si dos mariti culpâ perderetur, certum ejus pretium repeti possit, nullâ tamen venditione interveniente; quo posito:

3203 R. Quando bona dotalia traduntur Viro tanquam *æstimata*, nimirum ad venditionem, tali casu maritus legitimè præsentare, si Jus Patronatus competat Uxori ratione bonorum, quæ Viro tanquam *æstimata* in dotem tradita sunt; ratio est; quia bona dotalia, quæ cum æstimatione ad venditionem ab Uxore traduntur Viro, transeunt in dominium mariti, ut hic suppono ex dict. l. 4. n. 1587. consequenter etiam accessoriè penes ipsum est Jus Patronatus illis annexum; sed sic legitimè præsentat; ergo; sic Covarr. *practic. qq. 100 c. 28.*

3204 Si autem marito tradantur *non æstimata*, vel etiam æstimata æstimatione non faciente emptionem, ut exposuimus dict. l. 4. n. 1588. materiale illorum dominium manet penes Uxorem, ut ibid. ostensum est n. 1589. consequenter etiam Jus Patronatus illis annexum; sed hoc ipso in tali casu non legitimè præsentat maritus; sic enim nec accessoriè penes ipsum est illud Jus Patronatus. Nec obstat, quod etiam non traditis illis bonis dotalibus æstimatione faciente emptionem, competat illi dominium civile illorum bonorum, & administratio cum fructibus; hoc enim intelligitur solum

de fructibus & commoditatibus, quæ ad sustinenda matrimonii onera deservire possunt; quia ad hunc finem dos conceditur; jura autem Patronatus ad hunc finem deservire non possunt, ergo marito non conceduntur; sic Castropalaus *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 29.*

S. 5.

An sequester legitimè præsentet?

PER *Sequestrem* hic intelligo eum, apud quem res litigiosa deponitur, servanda illi, qui lite vicerit, ut accipitur L. *Sequester* II. de V. S. Duplex est *sequester*; alter voluntarius, alter necessarius. *Voluntarius* est, qui ex voluntate litigantium designatur à Judice. *Necessarius*, qui contra voluntatem litigantium à Judice constituitur L. *Lices* ff. depositi, de hoc ergo Sequestre voluntario, & necessario controversatur, an legitimè præsentet, bonis, quibus jus præsentandi annexum est, apud eum depositis? Loquimur autem hic de Sequestre, in quem possessio rei litigiosæ translata est, ita, ut penes nullum ex litigantibus easit, quod in certis casibus fieri posse, diximus l. 2. *tit. 17. de Sequest. possess. & fructuum.* Quæstio igitur est, an talis Sequester, in quem etiam possessio rei litigiosæ translata est, possit legitimè præsentare Clericum ad Patronatam Ecclesiam vacantem, quando jus præsentandi annexum est bonis taliter sequestratis? sive Sequester sit voluntarius, sive necessarius.

Ante resolutionem suppon. Jus Patronatus alteri annexum dupliciter considerari posse; primò, an annexum sit juri spirituali per se, ac propriè tali, ut si foret annexum Ecclesiæ, Prælatuæ, dignitati, vel beneficio Ecclesiastico? secundò, an annexum sit juri solum temporali, seu quod idem est, an res apud ipsum deposita ejus possessione in ipsum translata, sit juris per se, ac propriè spiritualis, an solum temporalis annexivè, sicut Jus Patronatus?

Supponendum 2. Laicum non esse capacem juris propriè, ac per se spiritualis, quale est jus Ecclesiæ, Prælatuæ, Dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici, secus, juris temporalis, licet annexum habeat Jus Patronatus. Prima pars est

ex c.

ex c. 2. de Judic. & c. *Causam* 7. de præscript. ubi dicitur, Laicos non posse præscribere jus decimarum, quia illud non possunt desinere, h. c. possidere; sermo autem est de decimis Ecclesiasticis, quarum jus fundatur in titulo propriè, ac per se spirituali.

3208 Ex his deducitur Sequestrem etiam Laicum, cui bona temporalia, quibus annexum est Jus Patronatus, data sunt in custodiam, translata simul etiam eorum possessione, legitime præsentate, non minus, quam lite finita legitime præsentaret Victor, seu dominus illorum bonorum; sic Azor p. 2. l. 6. c. 25. q. 17. Gonzalez, Gutierrez, Garcia, & alii, quos citat & sequitur Castropalaus tr. 12. D. 2. p. 18. n. 5. Nam, qui bona fide possidet Jus Patronatus, legitime præsentat; sed talis Sequester bona fide possidet Jus Patronatus annexum illis bonis, quorum custodiam & possessionem auctoritate vel partium consensu habet; ergo major est ex regula de jure bonæ fidei possessoris. Min. ponitur in casu.

3209 Difficultas tamen est, an hoc procedat, si Patronatus sit Ecclesiasticus, & Sequester Laicus? Re. resolutionem nostram procedere solum in casu, quo Jus Patronatus est Laicum, & seculare, si Sequester sit Laicus; ratio hujus sumitur ex dictis n. 3207. Nam Patronatus Ecclesiasticus fundatur in jure, propriè, ac per se spirituali; cum ergo tale jus possidere non possit Sequester Laicus, ut dictum est; desinitus erit & proprietate, & possessione Juris Patronatus Ecclesiastici, sine quo tamen non fit præsentatio legitime, antequam constet ex definitione Juris Patronatus Ecclesiastici n. 3059. cum competat titulo bonorum Ecclesiasticorum, quibus Ecclesia, vel beneficium fundatum, vel dotatum est, at bona Ecclesiastica fundantur in jure propriè ac per se spirituali, nimirum Prælaturæ, dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici, secus est de Clerico Sequestre, cui non inest incapacitas possidendi Jus propriè, ac per se spirituale.

3210 Hostiensis, Abbas, & alii in c. *Examinata* 15. de Judiciis, negant ullum Sequestrem, sive voluntarium, sive necessarium, posse legitime præsentare; moventur 1. quia Sequester non possidet

Tom. III.

rem sequestratam, neque illam nomine proprio administrat, sed alieno, ut constat ex L. *interesse* ff. de acquir. possess. L. 1. C. de Sequestrat. possession. Sed in præfenti nomine alieno fieri provisio beneficii non potest, quia dum est Sequestrum, non constat, cui competat jus providendi. Secundò, Sequester fructus rei sequestrate obligatus est servare victori c. *cum Beroldus de sentent. & re judic. c. 1. de sequestrat. possess. Clem. 1. eod. tit.* Sed provisio beneficii est fructus rei sequestrate: ergo servanda est victori. Tertiò, Sequester comparatur creditori, habenti pignus, cui est annexum jus providendi, sed huic creditori nequit Jus providendi competere, c. *cum Beroldus*, de re judicata: ergo neque Sequestro.

Sed Re. ad 1. in dato casu, quo procedunt à nobis dicta n. 3205. Sequestrum omnino possidere; cum ponamus ei, si Voluntarius sit, à partibus, si necessarius, à Judice traditam esse possessionem bonorum, quibus annexum est Jus præsentandi, hinc, si necessarius sit, administrat nomine Judicis, cum enim ei per Judicem commissa sit administratio bonorum, ut ponit casus, eo nimirum fine, ut illa rectè administret, & Jura eorum exequatur, inter ea autem sit *præsentare*, cum Ecclesia vacat, (ne scilicet alioquin devolvatur ad Ordinarium) merito agit jure sibi judicialiter commisso, sicut, si voluntarius, jure legis, cum supposita sequestratione partium consensu, & facta ipsi traditione, dispositione Juris, seu legis teneatur pariter ea rectè administrare, ac quando est Sequester Auctoritate Judicis.

Ad 2. Re. Sequestrum teneri reservare fructus rei sequestrate, qui servando servari possunt, non autem secus: *præsentare* autem, cum beneficium vacat, esse quidem fructum Juris Patronatus, sed talem, qui servando servari non potest, tum quia permittere vacantem Ecclesiam, est huic damnosum, tum quia, si negligatur præsentatio, hæc devolvetur ad Ordinarium, quod repugnat rectæ talium bonorum administrationi. Accedit, quod sola præsentatio non reddat sequestrem ditiozem, quo titulo cæteroque vel differri deberet, vel lite finita fructus rei sequestrate victori reddendus foret.

Aaa aa 2

Ad 3.

3213 Ad 3. B. Creditorem, qui habet à debitore pignus, in Ordine ad quæstionem hic controversam, non comparari cum Sequestre, vel econtra. Nam esto Creditor habens in pignore rem, cui annexum est Jus providendi Ecclesiæ, non possit Ecclesiæ vacanti providere, secus tamen est in Sequestre: ratio discriminis est, quia licet pignus sit penes Creditorem, adhuc tamen habet *certum* Dominum, qui providere potest, at quando res sequestrata est penes Sequestrem, quamdiu penes eum est, & lis pendet, non habet *certum* Dominum; sed, solum dubium, & solum declarandum lite finitâ: ergo. Accedit, quòd Creditor non habeat administrationem pignoris, sicut Sequester rei litigiosæ.

Rebuffus de *Nominat. q. 14. à v. 127.* & alii censent Sequestrem Voluntarium, non necessarium, posse præsentare; rationem dat, quia soli Voluntario, non autem necessario sequestro competit possessio, sed hoc in primis est extra casum, quo ponimus bonorum illorum possessionem esse traditam Sequestro, cum administratione, prout contingit, quando de ipsa bonorum possessione litigatur, nullo eorum obtinente certam possessionem; nam in casu, quo alter eorum est in certa possessione, lite pendente illi auferenda non est, quamvis, si possessio sit malæ fidei, fructus non faciat suos, nec præsentatio per illum facta teneat, ut supra diximus.

ARTICULUS IX.

An Patronus in præsentatione possit variare?

3214 *Variatio* seu voluntatis mutatio in eo, quod ante constitutum est, duplex in hac materia esse potest. 1. *exclusiva*, quando, postquam unus ad beneficium à Patrono præsentatus est, præsentatur alius cum exclusione prioris. 2. *Cumulativa*, quando primo præsentato adjungitur alius, non tamen excludendo priorem; quo posito dicendum, post institutionem præsentati, nec Ecclesiastico, nec Laico Patrono concessum esse *variare*; hæc est communis; nam præsentatus, secutâ institutione acquirit Jus in re, quo propter inconstantiam Patroni privari non debet; id, quod habetur in c. *quod autem. §. h. t.*

ubi Alexander III. Eboracensi Archi-Episcopo, qui quærebat, an (si Clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam præsentatus, non fuerit ab Episcopo diocesano admittus, & postmodum alius idoneus præsentatus, & institutus ab Episcopo, possessionem tenuerit corporalem) primo Clerico Ecclesiam petente debeat posterior removeri, vel posterior priori præferri? respondit dubium non est, quin in casu isto melior sit conditio possidentis: quoniam, *antequam præsentatio per Diocesana Episcopum approbetur: ratum non est, quod à Patrono fuerit inchoatum.*

Ex hoc deducitur 1. nec Patrono Laico concessum esse *variare*, post institutionem prius præsentati, esto sub hoc variare Patronus vellet exclusivè, vel cumulativè; 2. si ad præsentationem cumulativam præsentatus post alterum instituitur, præteritò primo, quantumvis idoneo, illius institutionem tenere, nec licere Patrono variare. Nam licet uterque ex facta præsentatione cumulativè (duorum simul unius post alterum) acquisiverit jus ad beneficium, secutâ tamen institutione unius eorum, is prævalebit, cum exinde consecutus sit jus in beneficio, & muniatur insuper possessione; neutro horum competente alteri, præsentato quidem etiam; sed non instituto.

Potissima quæstio est, an Patrono liceat *variare ante institutionem*? Communis affirmat de Patrono Laico; negat de Ecclesiastico: prima pars probatur ex c. *quod autem §. h. t.* ubi Clericus secundo præsentatus à Patrono fuit admittus, & institutus in beneficio Patronato; quod autem hic agatur de Patrono Laico, non Ecclesiastico, constat ex sequentibus.

Deinde, ex c. *Cum autem 24. eod. ubi* cum Episcopus Norwicensis ex Lucio III. quæsisset: cum *Advocatus* (quod verbum hic supponit pro *Patrono*, ut monuimus superius) Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit, postmodum eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur? respondit Pontifex: si Collegium, vel Ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur. Confirmari potest ex c. *Pastoralis 29. eod.*

Secun-

3217 Secunda pars etiam probatur 1. quia si Patronus Ecclesiasticus (cui scilicet competit jus presentandi jure Ecclesie, non patrimonii) possit variare ante institutionem unius presentati, (videlicet post presentationem primi, deinde adhuc nominando pariter idoneum) institutio secundi, praterito priore, facta per ordinarium, aequae teneret, ac si fieret in casu, quo Patronus Laicus, post primum presentavit alium; sed hoc dici non potest. 1. ex c. cum autem de quo num. preced. 2. ex cit. c. Pastoralis. 29. h. t. ubi, cum Episcopus Eliensis postulasset edoceri, an Clericus ad aliquam Ecclesiam a Patrono Laico presentatus (& diocesanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum) ex hujusmodi presentatione aliquid juris assequatur in illa? & si forte idem ad Sedem Apostolicam appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit presentare, ac secundum instituit Episcopus presentatum, idem ab ipsa Ecclesia debeat amoveri? respondit Innocentius III. Nos Alexandri Papa vestigiis inherentes (qui inter presentatos a Clerico, & Laico Patronis, distinguens, inter presentatos a Laico conditionem possidentis censuit meliorem) dicimus, quod institutio presentati, secundo loco a Laico Patrono, robur obtinet firmitatis. Verumtamen constituimus, ut Episcopus, qui presentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur: quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.

3218 Ex istis juribus deducitur 1. prater alias differentias inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum, etiam esse sequentes. 1. quod Patronus Laicus ante institutionem presentandi possit variare; non Ecclesiasticus; 2. quod, quando Patronus Ecclesiasticus cumulativè presentat plures, non irrita sit institutio posteriori presentati, praterito primo, etiam idoneo; secus, si presentavit Laicus, ut habetur in dict. c. Pastoralis; 3. in casu, quo Laicus presentat plures, relinqui arbitrio Episcopi, quem malit instituit; secus, quando Ecclesiasticus; nam in hoc casu presentatus prius, etiam est potior jure: 4. si Episcopus ex duobus presentatis ab Ecclesiastico, instituat posteriorem, mali-

rosè praterito primo idoneo, Episcopum teneri praterito provideri in competenti beneficio per cit. c. Pastoralis in fine; non autem in casu, quo Episcopus ex duobus presentatis a Laico; 5. quod presentatio facta a patrono Ecclesiastico, non autem a Laico, aequiparatur electioni, ut tradit Abbas in cit. c. cum autem n. 3. quo fit, quod, sicut eligentes variare non possunt, ut diximus l. 1. tit. 6. ex c. Publicato 58. eod. sic nec Patronus Ecclesiasticus; is enim presentat solum ex officio, & nomine Ecclesie; non autem jure suo, ut Patronus Laicus. Dixi: malitiosè praterito primo; quod censetur contingere. 1. si repulit sine justa causa; si ante examen, vel post examen, quo dignus inventus est: si magis dignus sit secundo. &c.

Prater hæc quaestio est 1. an Patronus Laicus, ante institutionem, possit variare non tantum semel, sed saepius? Loquimur autem de variatione cumulativa, non exclusiva: hæc enim illi nunquam permessa est. Ad quaestionem propositam respondent negativè Garcia de benefic. p. 5. c. 9. n. 214. Barbosa p. 3. allegat 72. n. 172. & alii, quorum opinionem probabiliorè censet Pirhing h. t. n. 99. §. Not. 3. rationem sumunt arg. L. Boves 89. §. 1. ff. de V. S. Ubi dicitur, hoc sermone, dum nuptia erit, prima nuptia significantur: idque colligitur ex cit. c. cum autem; ibi: alium aequè idoneum, & ibi: quis eorum alteri preferatur, adeoque loquitur de duobus successivè, & non de pluribus cumulativè, Fagnanus ibid. n. 8. Ratio est; quia variatio odiosa est, adeoque restringenda, & aequitas ita suadet, ad vitandam infinitatem, & confusionem, quod tamen limitat, ut non procedat, si prima presentatio irrita fuit; sic enim nulla præcessisset eam, quæ fit secundo, si prior irrita fuit.

Sed contrarium rectius sentiunt Gloss. 3220 in Clement. Plures de Jure Patron. §. fin. V. plures, & V. presentare; Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 13. & complures alii, quorum sententiam probabiliorè censet Castropalaus cit. n. 3. nam hæc variatio nullibi prohibita est; & Ecclesie valde utilis esse potest, ut reperio magis idoneo, vel etiam aequè, ex pluribus propositis Episcopus delectum faciat; & licet interdum

contingat, ut Patronus, qui aliquem valde idoneum presentavit, postea in alicujus amici gratiam presentet alium eo multo inferiorem; hoc non tollit, quo minus variatio accumulativa non sit Ecclesie utilis: nam saepe Superiorem presentabit, & casu quo inferiorem presentet, non tollitur Episcopo potestas instituendi primum presentatum, cum ex supra dicta variatione à prima presentatione Patronus non recedat: ergo nunquam hæc variatio Ecclesiam damnificat: ergo non est limitanda, sed extendenda.

3221 Ad rat. in contrarium *Re. ad L. Bo-*
ves, & similes, quibus dicitur, facultatem simpliciter datam *finiri* primo actu; intelligi, de facultate odiosa, quæ utique restringenda est, at talis facultas non est, quæ datur per Jus Patronatus, cum sit merum Ecclesie beneficium; ergo. Ad c. *Cum autem* ubi solum fit mentio *secundi Re.* non rectè deduci, excludi tertium, & quartum; cum ut dictum est, ea facultas non sit odiosa. Quod assumitur ex Clement. *Plures*, quam aliqui volunt intelligi solum de *nominacione* secundi, non autem plurium; negandum est; nam *codem tenore* affirmat *plures nominari posse*, quo in principio dixit *plures posse esse Patronos*. Sed de his constat plures, esse posse sine limite: ergo etiam possunt plures sine limite nominari. Neque etiam intelligi potest de nominatione plurium *simultanea*, & non *successiva*. Nam hæc nominatio simultanea variationem non constituit, cum uno iectu fiat; neque ex illa alicui ex presentatis jus quæsitum derogatur.

3222 Questio altera est, an in casu plurium Patronorum diversos presentantium, & discordantium, lite pendente liceat illis variare? procedit autem questio, non de litigante jam instituto, si contra ipsum lis mota esset; nam in hoc casu Patronum non posse variare inter Doctores convenit; sed neutro adhuc instituto? duplex est sententia, prima tenet affirmativam; quia Patronis Laicis competit jus presentandi & variandi intra quadrimestre; quod non aufert litis pendencia; tum quia c. 1. ut lite pendente in 6. loquitur solum de *electione & collacione*; tum quia c. 2. ibid. loquens etiam de *presentatione*, exponi potest, ne *post institutionem* variari possit, sic Jo. Andr. in dict. c. 1. & alii.

Alteram, quam sequitur Covarr. *pra. 3227*
litic. c. 36. n. 7. Flamin. de *Resignat. l. 12. q. 3. n. 162.* & alii, negat; fundamento accepto ex dict. c. 1. & 2. ut lite pendente in 6. In c. 1. Bonifacius VIII. sic loquitur: *dissendiis, qua, propter electiones diversas, Ecclesia patiuntur interdum, occurrere cupientes*: Statuimus, ut (si aliquibus apud Sedem Apostolicam, vel alibi litigantibus, super electionibus de se in discordia celebratis) aliquem ipsorum mori, vel juri suo renuntiare, aut à prosecutione ipsius contigerit quoquo modo excludi: *ad electionem aliam (lite super electione superstitis electi pendente) nullatenus procedatur, aliis attentata contra hoc, electio, ipso jure viribus non subsistat.* in c. 2. autem, si ii, contra quos super dignitatibus, Personatibus, vel aliis Ecclesiasticis beneficiis quæ possident, litigatur, lite pendente cedant, vel fortè decedant: *ne propter novos adversarios (qui malitiose interdum, petitoribus surrogantur) litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat*: statuimus, ut dignitates, Personatus vel beneficia hujusmodi (donec contra *superstitos* lis finita fuerit) aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quisquam, vel etiam presentetur. Quod, si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. Sane si ad defensionem ipsius litis aliqui, quorum intererit, petierint se admitti: eos in illo statu, in quo ipsam intervenerint, discernimus admittendos.

Ex his enim iuribus clare habetur, 3224
 non admitti novas presentaciones, etiam cumulando, lite pendente, idque ne lites prorogentur, vel nova litigia excitentur, nec tantum in casu electionis, vel Collacionis, sed etiam *presentationis*, & ita tenet præter citatos Lancellot. de attentat. lite pendente p. 2. c. 4. n. 579. & alii cum Barbosa in dict. c. 1. n. 4. dicitur autem *litigiosum*, de cuius dominio agitur inter petitorum, & possess. gloss. in c. 1. de confirmat. util. V. *litigiosa*; quod tamen aliqui limitant pro casu, quo unus ex litigantibus eo, quem presentavit, mortuo, presentaret collitigantem; nam sic potius ageretur conformiter ad mentem dicti c. 2. quia sic non auferentur sed potius minuerentur, imò cessarent lites; sic Lancellot. *cit. p. 2. c. 3. n. 688.*
 Præter dicta *nos. 1.* in quaestione, an, 3225
 si duo

si duo essent Patroni, Laicus unus, Ecclesiasticus alter, & forent discordes, saltem Laicus possit variare? responderi à nonnullis affirmativè; quia ob conjunctionem in Patronatu cum Ecclesiastico non perdit suum privilegium, præcipuè cum in præsentatione nulla sit conjunctio: sic Lambertin. de jure Patronat. l. 2. part. 2. q. 7. art. 13. August. Barbosa 3. p. alleg. 72. n. 166. secus, si forent concordēs; quia tacitè se obligavit Patronus Laicus per illam concordiam in supra dicta voluntate perseverare, & à Compatroni voluntate non recedere: sic Abbas in c. cum autem, de Jure Patronat. n. 4. Sed, si lite pendente inter Patronos discordantes talis præsentatio fieret, etiam Laico neganda videtur, ex dict. à n. in casu autem Concordiæ, pacto nimirum, altera pars rectè dicitur, at hæc prohibitio tunc non variandi, non est in vi legis Ecclesiasticæ (nam de hoc nihil agitur in dict. c. 1. & 2. in n. 3223.) sed solum in vi pacti.

3226 Not. 2. disceptari etiam, an valeat præsentatio Patroni, facta post juramentum non variandi? & negativam communiter doceri ab Authoribus; ratio ipsorum est. 1. quia juramentum, accedens actui, requirenti ad sui valorem auctoritatem Judicis, seu præsentiam, ita illum firmat, ut irrevocabilem reddat, juxta gloss. & tex. in c. licet mulieres de jure jurando in 6. Sed præsentatio est actus, qui absque Judicis Auctoritate fieri non potest, ut ex dictis constat: ergo si juramentum accedat de non variando, variare non poteris. Deinde, vel præsentatio fieret in hoc instituenti præsentatum, aperiendo, vel tacendo juramentum contra quod agitur? in neutro autem casu valet; ergo. Minor probatur; si primum? quia sic certum est ipsum non esse admissurum præsentationem; quia non potest illam admittere, ne perjurii cooperator sit; probatur etiam si secundum? quia sic admissio est dolosa & subreptitia; ac proinde irrita, & nulla, ergo in nullo casu hæc secunda nominatio valida esse potest.

3227 Affirmantes autem nituntur hoc fundamento; quia Patronus Laicus eo juramento, vel promissione non tollit à se Jus Patronatus, consequenter annexum privilegium variandi variatione cumulativâ.

2. si Patronus, vacante beneficio, antequam faciens præsentationem juraret, vel promitteret Titio, præter ipsum non præsentandi alium, non obinde vitaretur præsentatio Caji, contra juramentum, vel promissionem, tamen perjurus existeret, quia juramentum, vel promissio non sustulit ab eo facultatem præsentandi, quem maluerit ex dignis, tamen reddat illicitum ejus usum: ergo idem dicendum est facta prima præsentatione licere illi alium denuo nominare accumulando; cum facultas eadem sit, & immutata maneat. 3. si factò juramento, quod beneficium Ecclesiasticum, cujus libera collatio ad te pertinet, digniori collaturus es, illo prætermisso conferas digno, collatio tenet, ut tradit expressè Joann. de Selva, tit. de benef. 3. p. q. 27. ergo idem dicendum est de præsentatione facta adversus juramentum non variandi.

Ad 1. fundamentum affirmantium respondet Castropalaus cit. tr. 13. D. 2. p. 6. n. 9. admittendo, ex juramento non tolli à te Patronatum, & consequenter neque privilegium variandi illi annexum, sed negando, Patronum unquam, ex vi Patronatus, habuisse Privilegium variandi factò juramento vel promissione de non faciendâ variatione; sicuti nunquam habuit Privilegium variandi posita institutione. Hæc tamen responsio videtur facile solvi: distinctione minoris: nam cum dicitur Patronus, ex vi Patronatus nunquam habuit Privilegium licitè variandi posito juramento, C. validè, N. sic sponsus nunquam habuit jus & potestatem, non dissolutis sponsalibus, si quæ prius contraxit cum aliqua, licitè contrahendi cum alia, & tamen positis legitimis sponsalibus cum Barta, validè contrahit etiam de præsentati cum alia, sed illicitè, quia, quamvis talis contractus sit contra legem præcisè prohibentem usum juris in talibus circumstantiis, non est tamen contra legem annullantem, quæ est constitutiva juris ad operandum validè: at idem est in casu nostro; aliàs dici posset, sacerdotem, in statu peccati gravis scienter consecrantem, invalidè consecrare (quod nemo dicit) quia nunquam habuit potestatem consecrandi supposito tali statu peccati gravis, certè in hoc casu Castropalaus ipse etiam dicere debet: non habuisse unquam potestatem ad licitè, bene tamen,

ad validè contrahendum; id, quod & ipsius responsioni applicatur.

3229 Nec fundamenta sententiæ negantis concludenter intentum evincunt. Nam ad 1. responderetur, ad summum sequi, primam præsentationem, posito juramento, irrevocabilem reddi; ut revocari non possit licitè; non autem quod non validè, quantumvis illicitè. Ad 2. r. etiam data qualibet parte disjuncti, adhuc tamen non probari præsentationem *invalidam* esse; sed tantum *illicitam*; pone igitur, quòd Patronus juramentum manifestet Instituenti, & is instituat nihilominus præsentatum à Patrono, quem scit perjurum; non est dubium, quòd instituens agat illicitè; sed quæro, an propterea etiam *invalidè*? si non? habetur intentum; si ita? illicitè, contrahens cum impedimento solum impediente; scienter consecrans in statu peccati gravis; invalidè agent, quod nemo dicit: pone deinde, alteram disjuncti partem, quod non aperiatur Instituenti suum juramentum, contra quod agit; & is bonâ fide præsentatum instituat? demus etiam dolosè, ac subreptitiè fieri hanc præsentationem; an institutio propterea erit invalida? nunquid dolosè taccens votum, aut sponsalia legitime contracta, quando contra votum, vel priora sponsalia de præsentati contrahit cum alia, validè contrahit?

3230 Sed dices: instantias non desumi ab actibus, requirentibus ad sui valorem, Autoritatem Judicis, vel præsentiam, sicut hoc exigit præsentatio? r. & quæro, an susceptio sacri ordinis non sit actus in sui valorem exigentis Autoritatem Superioris? & tamen per dolum suscipiens sacrum ordinem (v. g. per saltum, vel tacens defectum natalium &c.) validè ordinatus esset, siue scienter taliter impeditum ordinaret Episcopus, consequenter illicitè ageret; siue ignoranter. Hinc etiam illud, quod in responso Castropalai superius attulimus (dicentis Patronum, nunquam ex vi Patronatus habuisse privilegium variando factò juramento, sicut nunquam habuit privilegium variandi positâ institutione) quod ly sicut negandum est, nam positâ institutione nec licitè, nec validè variat, quia positâ institutione instituto jam est jus quæsitum *in re*, & ipso beneficio; non autem, ante institutionem solum præsen-

tato, non tamen instituto, & ideo Patronus posito juramento, illicitè quidem, sed validè præsentat, quia per hoc non uritur aliquo jure in præjudicium juris alieni, jam *in re* quæsitum; his positis:

Esti sententia negans affirmantium opinionem consideratam secundum se non evertat de numero sententiæ verè probabilis spectatâ ratione intrinsecâ, ex qua non modò firmatur ipsa, sed etiam dissolvit contraria, quia tamen negativa communior est inter Doctores, & affirmans in usum vix deduci potest sine peccato, in praxi negativam in judicando, & consulendo, tenendam esse existimo cum Castropalao *cit. n. 8. in fine.*

ARTICULUS. X.

De habilitate Clerici præsentandi.

Communis tenet, incapacem institutionis, non posse præsentari, quod accipe, vel solum licitè, vel solum validè, vel utroque modo, secundum quod præsentando nocet inhabilitas, ut passivam institutionem recipiat. Patronus enim, ex vi juris sibi ab Ecclesia concessi, ad Ecclesias, & beneficia præsentare debet idoneum & dignum; cum in instituyente quod sit obligatio non admittendi, in idoneum, vel indignum; sic Azor *p. 2. l. 6. c. 2. r. g. 4.* quibus præmissis:

Quæstio 1. est, an Patronus Ecclesiasticus possit seipsum præsentare ad vacantem Ecclesiam, vel beneficium sui Patronatus, saltem si idoneus, & dignus sit? hanc quæstionem Innocentio III. proposuit Archiepiscopus Rotomagensis, cui rescripsit Pontifex: cum nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officii: respondemus, quòd nullus se potest ad Personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis, & meritis adjuvetur, sic habetur in c. per Nostras 26. h. r. & c. fin. de institut. ibi: illud autem nolumus vos ignorare, quòd, postquam M. fuit Abbas effectus, custodiam de jure non potuit obtinere: quia, cum ratione Abbatiæ ad ipsum pertinet donatio tam custodiæ, quam aliarum dignitarum, ac etiam præbendarum in Ecclesia Patranen. custodiam ipsam recipere non potuit à se ipso, cum inter dam. m. accipientem debeat esse distinctio personalis sed

sed nec ab alio, cum jus conferendi alius non haberet.

3234 Quamvis autem textus in c. per nostras loquatur solum de presentatione ad personatum; idem tamen procedit tam in beneficiis simplicibus, quam aliis officiis, & dignitatibus, quidquid in contrarium velit Lambertinus in tract. de Jure Patronat. p. 1. l. 2. q. 8. a. 2. Nam in presentatione Patroni de se ipso facta vitium ambitionis repetiri censetur; cum non solum prohibeantur illa, quae per se mala sunt, verum etiam illa, quae speciem mali representant, & presentatio de se facta propter praeductum vitium in illo praesumptum mali speciem habere censetur, argum. text. in c. quia in tantum, & in c. cum jam dudum de praebend. hinc merito textus dicit, Patronum se ipsum ad Ecclesiam Patronatam vacantem non posse presentare.

3235 Haec confirmari possunt, 1. ex verbis hujus textus, ibi: cum igitur nullus se ingerere debeat &c. quae quidem verba important, affectare, & ambire, juxta text. in l. sequemquam, C. de Episcopis & Clericis; in qua, ratione naturali suavioriam dat hic textus ad constituendam talem prohibitionem, quemadmodum multoties alias similibus rationibus naturalibus solent duas decisiones probabiliter confirmare, ut videre est in c. quoniam, de officio & in c. cum omnes, de constit. c. fin. de Institut. ubi habetur, quod Episcopus se ipsum instituere non possit, ex eadem nimirum ratione; praesertim cum institutio petat distinctionem personarum, influentis, & instituti, quod valde congrue dicitur etiam de distinctione presentantis, & presentati.

3236 Not. autem. 1. si contingat, quod Praelatus, ad quem pertinet institutio, motu proprio vocet Clericum Patronum, illique beneficium vacans conferat institutionem validam esse; quia est institutio facta ex consensu Patroni, non tamen ex illius presentatione, consentit Sylvester V. Jus Patronatus. q. 7. Vasq. opusc. de benefic. c. 2. §. 1. dub. 4. Lessius lib. de justit. c. 34. dub. 7. n. 28. Huic modo acquirendi proprium beneficium, cujus quis Patronus est, connectunt aliqui alium, si coram Episcopo supplicet, ut sibi conferatur, alia causa rationabili v. g. quia ipse jam
tom. III.

indiget, saltem relate ad statum suum, vel alia; sic pluries decisum esse, refert Barbosa in dict. c. Abbate n. 5.

Not. 2. Procuratorem constitutum, ut nomine Patroni presentet, non posse presentare ipsum Patronum; sic Flaminus de Resignat. l. 9. q. 17. n. 113. quia sic Patronus saltem virtualiter presentaret se ipsum, & talis presentatio potius esset in fraudem legis, ac ad palliandum ambitionis vitium, cujus intuitu prohibetur Patronus presentare se ipsum. Sed nec se ipsum presentare posset eo casu Procurator, sic enim & iste incurreret vitium ambitionis, ut colligitur ex 24. q. 1. c. Didicimus. 31. ibi: Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicam & Apostolicam traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.

Not. 3. si duo essent Patroni ejusdem Ecclesiae, vel beneficii, valere presentationem, qua unus eorum presentaret alterum; sic enim Patronus non presentaret se ipsum; ita Riccius in praxi, resolut. 179. n. 3. Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 3. & alii communiter, & ratio ulterior est, quia etiam in electione is, qui a duobus Compromissariis electus est, sui electioni per suum consensum potest accedere, ut colligitur 1. ex 16. q. ult. c. fin. Deinde ex c. Quia propter 42. de Elect. ubi valet electio ejus, in quem ex tribus Compromissariis vel omnes vel major pars consenserit, de quo plura l. 1. tit. 6. de Elect. & electi potestate.

Dices: in hoc casu Patronus adhuc seipsum presentaret; ergo nec in hoc casu presentatio valet? R. N. ant. Nam in hoc casu, seu presentatione, nullus Patronorum pro se suffragium efficax ferret, sed solum suffragiis aliorum, in sui favorem datis, per consensum accederet, augendo illorum numerum, ut notat Gloss. in c. per nostras h. t. V. presentare, & quamvis pro se suffragium ferret; quia tamen illud parziale est, & insufficienti ad presentationem, vel electionem constituendam, non videtur in supradictis textibus prohiberi.

Quaestio est. 2. an Pater, cui competit Jus Patronatus ad certam Ecclesiam, ad eam

ad eam vacantem possit præsentare suum filium si idoneus sit? *Re.* affirmativam posse colligi ex c. *Consuluit* 15. h. 2. ubi, cum Episcopus Adonens. Pontificem consulisset, quid sibi faciendum sit de Clericis, qui Ecclesias constructas hereditario jure sibi vendicant, nec ipsi volunt exinde respondere; & de laicis, qui præscriptas Ecclesias filiis vel filiabus, vel nepotibus suis dare nituntur? Alexander III. respondit: *cum Sanctuarium DEI, de jure hereditario, teneri non possit: Non decet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias, à parentibus suis fundatas, propria Autoritate, detineant, aut Laici filiis, vel aliquibus Laicis concedant easdem, ubi Doctores communiter notant per Sanctuarium intelligi, quæ ad divinum cultum dicata, DEO, & Ecclesiis data sunt.*

3241 Hinc ex dicto c. communiter inferunt Doctores, cum prohibetur ne Patronus præsentet *se ipsum*, prohiberi solum præsentari Patronum in Ecclesia, in qua ipse habet Patronatum, filius autem Patroni, non est Patronus, nec in ea Ecclesia habet Jus Patronatus, ergo. Deinde rationes, propter quas prohibetur Patrono *se ipsum* præsentare, cessant in filio ejus, siquidem filius in hoc à Patre alia persona est; quo dato apparet ratio discriminis inter dantem & accipientem, quod requirit text. in c. *ult. de instit.* deinde cessat vitium ambitionis, text. in c. *per nostras*. 26. hoc tit. cõ, quod, licet in Patre dante existere possit, nihilominus tamen in filio ex ipsius acceptatione non præsumitur, prout in aliis præsentatis non judicatur. Facit denique, quia filius Patroni non debet esse deterioris conditionis, quam reliqui omnes extranei, qui per Patronum Parentem præsentari possunt; aliàs enim favor, quem Jus Canonicum in remunerationem beneficii Patronis facere intendit, in illorum odium retorqueretur, contra reg. text. in L. *quod favore*, ff. de leg. & reg. *quod ob gratiam*, de reg. jur. in 6.

3242 Dices ex c. *Consuluit* videri potius dicendum oppositum, quod nimirum Pater ad beneficium, cujus ipse Patronus est, nec filium præsentare possit; sed negandum est, id enim, quod ibi prohibe-

tur, est, ne Clerici propria Autoritate detineant Ecclesias fundatas à suis Patribus, aut Laici filiis, vel aliquibus Laicis concedant; ubi clarè apparet non agi de *præsentatione*, sed *collatione*; Patroni enim Laici beneficiorum *collationem* Autoritate suâ facere non possunt, cum iste actus sit propriè actus jurisdictionis spiritualis; & filii eorum ab illis præsentati, beneficia, ad quæ à suis Parentibus præsentati sunt, *sine Canonica institutione detinere* non possunt, ubi autem Canonicè instituti *ea detinent*, non detinent *Autoritate suâ*, sed instituentis, cum ex ejus solum institutione acceperint jus in re.

Quæstio est 4. an Patronus, à quo 3243 plures digni rogant præsentari, teneatur ex illis eligere digniorem? Ante respons. not. debere attendi. 1. an agatur de beneficio tantum simplici, vel curato? 2. an Patronus sit Ecclesiasticus, vel Laicus? 3. an beneficium non sit vinculatum in fundatione, prout contingit in certis fundationibus, ut notavimus à n. 279. de beneficiis *Sacerdotalibus*; & n. 300. de beneficiis *parrimonialibus*; quamvis in beneficiis Ecclesiasticis jure sanguinis nulla detur successio; c. *Ut nullus* de præbend. excipiuntur, tum Capellanæ fundatæ, ut eas habeant, qui sunt de familia; quia non sunt beneficia Ecclesiastica; sic Barbosa; ibid. n. 2. id, quod extenditur ad successionem sive ab intestato, sive ex testamento c. 2. de concess. Præbend. de quibus Pirhing. n. 52. de præbend. quo posito.

Ad propositam quæstionem resol. 3244 vendam juvat, quod habetur in Trid. Sess. 24. de reform. c. 1. ubi Concilium omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum *quodcumque jus*, quacumque ratione, à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsentati temporum ratione innovando *hortatur*, & *monet*, ut in primis meminerint, nihil se ad DEI gloriam, & populorum salutem utilius posse facere *quam si bonos Pastores*, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos, promoveri studeant: *eosque, alienis peccatis communi-cantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicave-*

vint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, aetate; doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus praeditos sciant; quae juxta sacros Canones, per Tridentina hujus Synodi decreta requiruntur.

3245 Et eadem *Seff. c. 18.* ibi: *peracto examine renuntientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre, si vero Jure Patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem, inter probatos ab Examinatoribus, judicabit, Episcopo praesente teneatur, ut ab eo instituat. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat; quod si Jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat qui a Patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.*

3246 Ex his Concilii Decretis deducitur, Patronum Ecclesiasticum, si Ecclesia sub ejus patronatu sit curata, teneri praesentare digniorem; non autem, si beneficium sit solum simplex; cum id nullo Jure cautum sit, nec onus istud Patronis imponi debeat jure non disponente: si autem Patronus Laicus sit, non videtur obligatus ad ullum beneficium digniorem eligere; quia nullibi de tali Patrono hoc cautum est; imò potius Tridentinum, de ipso loquens, contentum est, si dignum eligat, inquit enim *dict. c. 18.* Si Jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono praesentatus fuerit, examinari, & si idoneus repertus fuerit, admitti. Unde, cum in hac praesentatione, concursus non exposulet, Concilium Tridentinum tacite insinuavit, sufficere, si dignus praesentetur, & eligatur, plus exigendum non est, & ita

Tom. III.

tenet expressè *Garcia de benefic. 7. p. c. 16. n. 17.* *Caesar Lambertin. de Jure Patron. l. 2. q. 10. art. 3. n. 17.* *Petrus Navarra lib. 2. de restitu. c. 2. n. 150.* favet textus in *c. Monasterium. 16. q. 7.*

Quaestio est 5. an si Patronus praesententur *indignum*, privetur usu sui Juris pro illa vice? procedit autem quaestio si Patronus sit Laicus, sive Ecclesiasticus. *Re. quamvis Lessius de Justit. l. 2. c. 34. D. 7. n. 18.* de utroque negativam teneat, quia de Patronis nullibi hoc in Jure cautum est, & ab Electoribus in dispositione poenali ad Praesentatores extensio fieri non debeat; esse tamen discrimen aliquod in hoc constituendum inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum, quòd, cum ille intra tempus pro facienda praesentatione, possit variare, non autem iste, ut dictum est in praecedentibus, Laicus, poterit; non autem Ecclesiasticus (extra unum casum) si advertit à se praesentatum esse indignum, alium praesentaret durante adhuc tempore à Jure concessò.

Dixi 1. si Laicus intra tempus à jure concessum loco indigni praesentet alium. Nam si intra illud tempus non praesentavit alium, affirmandum est, etiam Patronum Laicum prius esse usu juris post quadrimestre alium praesentandi; cujus ratio est; quia si Patronus Laicus toto quadrimestri nullum praesentavit, eo ipso pro illa vice beneficium ab Ordinario conferri potest absque praesentatione *c. unic. h. t. in 6.* ergo etiam si toto eo tempore non praesentavit alium, quam indignum; nam *indignum praesentare, ac nullum praesentare*, idem est *c. inter corporalia 2. de translat. ibi: juxta communem modum Ecclesia videtur judicare, quae licet Episcopum habet, inutilem tamen prohibetur habere*; id quod etiam colligitur ex *c. Tue 12. de Clericis non resid.* ubi negatur Canonicis privilegium percipiendi fructus suarum praebendarum in absentia studiorum causa, si impetrata hac licentia recipiant se ad villas & oppida, ubi ferè nullum habetur literarum exercitium.

Praeter hæc *not. 1.* non obstat dictis, quòd Pater & filius in jure censentur una, eademque persona; quo aliqui volunt, quòd, si Pater non possit se ipsum

Bbb bb 2

præ-

presentare, nec possit filium; aut e contra, si possit filium, possit & seipsum; non inquam obstat; nam hæc identitas non est realis, sed juridica, seu ficta, juris dispositione ad certos tamen effectus, per ordinem ad quos ex iusta causa casum, cæteroque falsum, disponit habendum tanquam verum; consequenter se non porrigit ad quoslibet effectus; hinc in materia electionis non est hæc identitas ficta inter patrem, & filium; nec in natura acquirendi spiritualia; nam ex L. illud 35. ff. quod cuiusque Universit. nam filius patri suffragium, seu vocem electionis dare potest; & in spiritualibus non acquirit Patri, sed sibi.

3250 *Not. 2.* nec Laicum, nec Clericum posse sine simonia emere Jus Patronatus, seorsim, ac solitarie sumptum, ut constat ex dict. supr. posse tamen indirectè, nimirum per consequentiam, directè nimirum emendo bona temporalia, quibus Jus Patronatus annexum est, quia tamen circa hoc potest dubitari, an id procedat etiam in casu, si ea bona emeret ex intentione, ut, obtento per consequentiam Jure Patronatus in Ecclesiis patronatus, filios suos, vel nepotes, presentare possit? Respondet Pirhing *h. t.* n. 93. ejusmodi emptionem ex tali intentione vitari, quod contineat simoniam mentalem, consequenter talem privandum Jure Patronatus, & Ecclesiam propter injuriam sibi factam ex tali vitio reddi liberam.

3251 In hac quæstione dicendum videtur cum distinctione, & affirmandum cum cit. Authore, si intentio principaliter, ac directè feratur in acquirendum Jus Patronatus; non autem, si directè, ac principaliter in bona temporalia, licet indirectè veniat etiam Jus Patronatus, ac eo deinde intendat uti pro commodo suorum liberorum qui apti sunt in ejusmodi Ecclesiis, cum vacaverint, deservire, & hoc videtur intendi per c. *Quia Clerici* 6. *h. t.* ubi Alexander III. sic rescribit, quia Clerici quidam Advocatias (id est, *Jus Patronatus*) Ecclesiarum comparant, sive emunt, (per se tantum, sive seorsim, nam cum Universitate bonorum vendi potest, Gl. hic V. *Comparant.*) vel quocunque modo possunt, sibi acquirunt, ut postea eorum

filii, aut nepotes ad eandem Ecclesias vacantes presententur; id severius prohibendum esse, mandat Pontifex, eosque, qui Advocatias sive Patronatus ita acquiserint, appellatione postposita, iis privandos esse.

Ratio 1. partis est, quia talis intentio, quæ principaliter, & directè quarit acquirere Jus Patronatus per emptionem, est in re, ac verè simoniaca, cum pretio directè acquirere Jus Patronatus, quod saltem est annexivè spirituale, ex dictis, licet pravus ille animus vestiatur pallio emptionis temporalium; talis porro simoniaca emptio punitur privatione Juris Patronatus, quin redeat ad venditorem, ut dictum est, & colligitur ex cit. c. *quia Clerici*, ergo, ratio secundæ partis est, quia in hoc casu id, pro quo datur pretium ex pacto emptionis directè, ac principaliter, est Jus bonorum temporalium, quod spirituale non est, etiam annexivè, & velle uti Jure Patronatus ad presentandum filios, vel nepotes in Ecclesiis patronatus subjectis, cum vacaverint, ponitur non esse objectum directum, & principale ex intentione emptionis; nec importat voluntatem illicitam, ut dictum est, ergo.

ARTICULUS II.

De modo Presentationis faciendæ.

PRIMA quæstio est, an per hoc, quod quis à Patrono presentetur, presentatus acquirat jus ad beneficium? R. non acquirit *jus firmum* prius, quam illi presentatio exhibeatur, cujus est institutio; sic tradunt communiter Garcia de beneficiis p. 4. c. 1. n. 6. Barbosa p. 3. allegat. 72. n. 12. & alii; nam presentatio dicitur respectivè non tantum ad eum, qui presentatur, sed etiam ad illum cui; hinc presentatio, *in re non est cum effectu* presentato constituendi jus ad rem, seu beneficium, nisi facta sit ei, cui presentatus à Patrono manifestari debet, & exhiberi.

Quia verò quandoque unius etiam Ecclesie plures sunt Patroni, quibus comperit jus presentandi, quæstio altera est, an debeant vocari ad hoc omnes, vel sufficiat presentacionem ab uno fieri

Ante

Ante respons. not. disceptari à non nullis, an presentandus, ut presentatio dicatur rite facta, debeat se in persona sistere instituenti, ut ex facta presentatione dicatur jus ad beneficium consecutus? cique institutio debeat, si aliud non obstat? Affirmativam videntur aliqui tenere ex pluribus causis.

Prima est ex c. cum & plantare, S. in Ecclesiis, de privilegiis, ubi habetur, quod Religiosi, etiam exempti, in Ecclesiis suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis representant. Ex quo ibid. n. 30. infert Barbosa, quod tales debeant instituenti se personaliter exhibere. Nam presentatio est exhibitio personæ per Patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitime facta.

3254 Altera est, quæ dicunt, hanc presentiam corporalem vel personalem presentati, coram Instituitore faciendam, etiam probari ex Trid. Sess. 24. de reform. c. 18. ubi dicitur, presentatum à Patrono Laico, non admitti, nisi ab Ordinario examinatus, & idoneus reperitus fuerit, quod etiam procedit de beneficiis simplicibus, & quibusvis aliis, ad quæ aliquis ab alio, etiam Ecclesiastico, presentatur, eligitur, vel nominatur, ut habetur in eod. Trid. Sess. 7. c. 13. ubi expresse dicitur, quod nec institui, nec confirmari, nec admitti debeant, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperi; sed hoc examen, cum personale sit, requirit examinandi, consequenter instituendi, presentiam corporalem coram Instituitore presentandam. Imo Sess. 25. de reform. 9. dicitur: beneficium Juris Patronatus (quantumvis simplex sit, & possit inferior ad illud instituere) requirere Episcopi examen, ut scilicet sciat, an sint ætate, literis, & sufficienti idonei? Advertendum autem hoc procedere de examine solum privato ante institutionem, vel confirmationem, non dandam ab Episcopo, quando non fit per concursum. Difficultas est, si negetur institutio nisi presentatus, vel electus personaliter accedat ipsum Episcopum, presentem, quando justis quandoque de causis hanc sui presentiam corporalem Episcopo exhibere non potest, his præmissis:

Re. 1. Episcopum non posse jure negare institutionem Clerico habili, ad beneficium vacans, presentato à Patrono legitimo, licet Patronus presentationem non faciat personaliter, seu per sua persona corporalem presentiam, sed solum per literas, vel Procuratorem, sic Castropalaus tr. 13. D. 2. p. 1. n. 5. Nam in c. ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prælato, id aperte decisum est ibi: per se, aut per literas, personas idoneas presentens Episcopis diæcesanis. Idem habetur in c. fin. de Concess. præbend. Ex quo recte sequitur, quod Patronus etiam absens presentationem facere possit.

Re. 2. Nec ex parte presentantis, nec ex parte presentati ad valorem presentationis requiri, ut presentatus ei, ad quem institutio spectat, corporaliter se presentet, modò id faciat per literas, vel Procuratorem: sic Castropalaus cit. n. 5. & Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 6. Quia nullus est textus Juris, qui ad valorem presentationis requirat, ut presentatus se personaliter, seu corporaliter sistat ei, ad quem pertinet institutio presentati, & aliunde per reg. juris, quod quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Accedit Praxis. Nam Episcopi Galliæ, Hispaniæ, Flandriæ, à suis Regibus presentati, ut Not. Castropalaus cit. n. 6. imò etiam Hungariæ, & Germaniæ, qui à Pontifice instituendi sunt, non exhibent se personaliter Pontifici instituendos, & in c. Accedens. de præbend. Clericus absens investitur de beneficio Ecclesiastico: ergo à fortiori presentari, vel nominari potest absens. Nec obstant ea, quæ superius adducta sunt 1. quia presentari, est sui presentiam facere, vel per se ipsum, vel per alium; examen autem ad summum requirit corporalem presentiam examinandi non pro presentatione, sed institutione, vel confirmatione.

Ex hoc colliges contra Barbof. (qui p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat 72. d. n. 110. & 517. affirmat, certissimum esse, non teneri Ordinarium absentis presentationem admittere, sed posse illam repellere, tametsi ei notus sit) colliges, inquam, contra illum, talem absentis presentationem non posse rejici ut invalidam ex eo, quod se personaliter non sistat,

sistat, ut patet ex dict. cum ad valorem *presentationis* necessaria non sit.

3258 *Re. 3.* privatum examen presentatorum, vel electorum non esse de forma vel substantia institutionis, vel electionis sic, ut illo prætermisso institutio, vel confirmatio, invalida sit. Nam si Episcopo, presentati nota sit ætas, literatura, & sufficientia, opus non est examine, ubi institutio fit sine concursu; sic gloss. in c. de Petro dist. 47. V. *Ignotus*. Innoc. c. in *Lateranensi*, de præbend. Barbof. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. & apud hos alii: si autem illud examen prævium esset de institutionis forma, remitti non posset ab Episcopo, etiam in casu illo, nec institutio valeret, cuiusmodi oppositum omnino certum est, ex praxi etiam in Germania plurimorum sic institutorum.

Censetur autem Episcopo notus, seu notoriè dignus, si est Doctor in aliqua Universitate studii generalis graduatus: sic Barbofa p. 3. de potest. Episc. allegat. 60. n. 87. ubi tamen excipit beneficium Parochiale, quòd verum iudico, si conferendum sit per concursum propter dicta n. 711. & 428. Deinde idem Author in c. *Cum & plantare. §. in Ecclesiis*, de Privil. n. 34. docet, hoc ipso, quòd quis sit diocesanus Episcopi, eum huic præsumi notum in ordine ad hunc effectum, ut sustineatur presentatio de absente, & ideo cit. p. 3. n. 87. docet, esse receptissimam scribentium resolutionem, examen necessarium esse pro forma in *solis Parochialibus*, intellige, in quibus requiritur *concurfus*, aut ubi presentatus absque examine non est sufficienter instituenti notus quoad idoneitatem.

3259 *Re. 4.* ad valorem institutionis vel confirmationis non esse necessarium, ut examen instituendi vel confirmandi fiat *coram ipso instituente, vel confirmante*. Licet instituendus, vel confirmandus Episcopo notus non sit. 1. quia institutio vel confirmatio valet, si examen fiat per Delegatos ab Episcopo, ut pat. ex Trid. Sess. 24. de Reform. c. 18. nisi opus esset concursu, imò fieri potest per Delegatos etiam extra Provinciam, cum non sit actus judicialis Barbof. p. 3. de potest. Episc. allegat. 72. n. 119. Secundò,

quia Vicarius seu Officialis Episcopi *jure suo ordinario*, sine speciali illius licentia, validè instituit presentatos, & confirmat electos, ut ex communi sententia docet Barbofa p. 3. allegat. 54. n. 70. gl. in c. *fin. de Offic. Vicar. in 6. V. non possunt*. Zerola in Praxi Episcoporum p. 1. 14. Azor p. 2. l. 3. c. 44. q. 50. & videri potest lib. 1. tit. 6. ubi agimus de confirmatione electi.

Re. 5. presentato, vel electo, notoriè digno non possè jure negari institutionem vel confirmationem, quando ex justa causa non potest sui personalem presentiam facere illi, penes quem est Jus institutionis, vel confirmationis, si paratus sit se sistere in loco, ubi justum illud principaliter impedimentum cessat, præsertim, si in hoc sint Examinatores Ordinarii, vel Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi. Nam in tali casu nullo juris textu probari potest, Ordinario competere Jus negandi institutionem vel confirmationem, cum illi satis constare possit per Vicarium suum notoria dignitas instituendi, vel confirmandi, quo cessat periculum ne promoveatur indignus, vel minus dignus, in quo uno fundatur ratio personalis presentiam instituendi, vel confirmandi facienda, per instituendos vel confirmandos. Dixi: quando *ex justa causa*, vel impedimento non potest, seu quando per ipsum non fiat, *personaliter se sistere*, puta, si prohibeatur exire extra territorium Principis temporalis, habentis, vel ex Privilegio, vel longo usu, & consuetudine, etiam Romanæ Sedis factis iteratis probata, ne sui subditi extra suas terras evocentur, sed per Delegatum intra eas fiant, si quæ faciendæ sint.

Contraria opinio fundat se in his, quæ à n. 3253. allata sunt, sed non obstant. Nam ad c. *Cum & plantare*, concedo requiri presentationem instituendi, sed juxta dicta, nimirum vel per se, vel per literas, aut Procuratorem. Ad 2. ex Trid. Sess. 24. c. 18. similiter concedo, presentatos à Patrono Laico non debere institui, nisi examinatos, & idoneos repertos, quod unicè petit ille textus, *ne scilicet indigni, vel minus digni promoveantur*; & ad hoc requiri personalem presentiam presentati; sed vel coram princi-

principali instituyente, si iusto impedimento careat; vel coram eius vicario, aut delegato, quando presentatus, iusto gravique impedimento prohibetur personaliter se sistere Episcopo. Ad 3. ex ead. sess. 7. c. 13. eadem est responsio, præterquam, quòd in solis Parochialibus (& quidem per concursum, non extra) conferendis, pro forma requiritur examen, quod esse personale, concedimus, ut constat ex dict. nec in notoriè dignis, ac Episcopo per se, vel alios notis exigatur, ut præmissum est.

3262 Confirmantur dicta seqq. fundamentis. Quando scitur presentatus vel electus esse dignus, & idoneus, aut facile sciri potest, quin personaliter se sistat ipsi instituenti, vel confirmanti, præsertim distanti, & iusto impedimento detentus ad eum etiam personaliter venire non potest, si negatur institutio, vel confirmatio, hoc ipso negatur ei, quod iure debitum est. Nam confirmatio electi est necessitatis per c. 3. de Elect. & sapit iustitiam, cum per electionem sit jus quæsitum electo, eique sit debita confirmatio, per c. Cum inter 3. eod. sic Fagnanus ad c. Illa, ne Sede vacante à n. 12. unde in electo debitum accipiendi confirmationem; vel in presentato institutionem, ab Ordinariis Papæ inferioribus, ratione subeundi examinis extra concursum, non videtur ejus corporalem presentiam strictius exigere, quam id exigatur in confirmandis, vel instituendis à Summo Pontifice: de his autem extat textus in c. Nihil est 44. de electis, ita loquens: *de electis, qui ad Romanum pertinent immediate Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem Officii, ejus se conspectui (si commode fieri potest) personaliter representent: aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus, & electis haberi possit; in quem locum Panormitanus §. cæterum n. 3. ait: Nota, in dicto §. Exemptos immediate subiectos Papæ, teneri petere confirmationem electionis à solo Papa, dic tamen quòd etiam Legatus de latere potest istorum exemptorum electiones confirmare, & statim subjungit: procedit ergo iste textus (quòd electi vel personaliter, vel per idoneas personas Papa presentare se debeant) si Legatus de la-*

tere non esset in partibus. Cum ergo etiam Vicarius Episcopi iure suo possit confirmare electos sine speciali licentia Episcopi, ut diximus supra, obligatio, ut electi se presentent conspectui Episcopi, procedit solum, quando Vicarius Episcopi non est in illis partibus.

Hinc electus, qui benedici ab Episcopo deberet, interim omnia, quæ ad suum officium spectant, exercere potest (si Episcopus tertio cum humilitate rogatus, benedictionem impendere recuset) donec deposita suâ duritiâ benedictionem conferat, sic Card. de Lugo in qq. Canonicis de Prælat. Ecclesiasticorum electione c. 17. q. 2110. Accedit, quòd examen sive inquisitio de vita, & moribus electi, debeat fieri in loco, ubi electus est conversatus; quia universim inquisitio de fama alicujus, fieri debet in loco, ubi diutius morabatur, quia ibi est notus, & melius cognosci potest. c. postquam. 3. de elect. gl. ibid. V. Conversatus. & Abbas n. 4. ergo si ibi sit Vicarius generalis, citari non debet extra territorium Principis iure prohibentis egressum; si autem electus notoriè sit idoneus, nulla alia facienda est inquisitio in vitam & mores ipsius, ut colligitur ex Constitutis. 46. de appellat. & c. Nullus. 2. dist. 24. ubi Gl. ait: quòd noti non sunt examinandi, sed tantum ignoti. Abbas in c. Postquam. 3. de elect. n. 5. Pirhing de elect. n. 320. his præmissis:

R. Ad quæstionem in n. 3252. pro 3264 positam R. cum distinctione presentationis factæ à pluribus per modum unius, aut per modum plurium; nam si presentatio facienda sit à pluribus, non ut pluribus, sed in quantum constituunt unum corpus, seu Collegium, vocandi erunt omnes, ut secus presentatio nulla sit, vel saltem cassanda; si autem à pluribus per modum plurium, sufficere majorem eorum partem; sic tradit Lessius l. 2. c. 34. D. 8. n. 34. & alii, quod quidem verum est, si tamen omnes ad hoc, qui debebant, vocati sunt. Prima pars colligitur ex c. quod sicut 28. de Elect. ibi: quod, si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio penitus taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire.

sentire, & c. Bone 36. eod. ibi: electionem autem Archi-Diaconi (quamvis laudabile testimonium perhibeatur de ipso) iustitiâ exigente cassavimus; tum quia corpore dicti Episcopi nondum tradito sepultura, habuerunt de ipsâ electione tractatum contra canonicas sanctiones: tum quia inventus est H. fuisse contemptus, licet unus solus extiterit, cum plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præfenti. Ratio 2. partis est; quia, etsi verum sit, acta à majori parte alicujus Communitatis valere, id tamen accipiendum est de Majori parte eorum, qui *vocati* præsentés sunt; ne absens, citra culpam, privetur jure suo, qui vocatus non est, & vocari poterat, ac debebat; aliàs enim taliter contemptus, seu neglectus, præsentationem etiam securâ institutione impugnare poterit, ut casetur, sicut potest elector contemptus, electionem etiam confirmatam, ut constat ex relatis juribus.

3265 Difficultas est, qualiter intelligi, vel accipi debeat *major pars*, quando præsentatio spectat ad plures, quin constituent communitatem, quæ dicatur præsentare; v. g. in casu, ubi respectu ejusdem Ecclesiæ sunt 12. patroni, quorum quilibet seorsim ab aliis præsentat. Tali enim casu contingere potest, quòd quinque præsentent Titium; quatuor Cajum; tres Sempronium: in hoc casu dubitari posset, an is, qui habet in hoc casu tantum quinque, censeatur legitime præsentatus, & coeteris habentibus minorem numerum præferri possit, ac ex tali præsentatione validè institui? Videtur enim quòd non; nam etsi habeat majorem numerum *respectivè* ad alios; non tamen habet majorem numerum, qui est *absolute* major Patronorum in eum consentientium; at hoc videtur exigi non minus, ac in electione, ubi non sufficit, ut prodeat electus, quod habeat numerum suffragiorum, qui est major *respectivè*, sed debet habere majorem *absolute*; qui scilicet verè major est Electorum præsentium, & in eum consentientium, ut diximus *l. i. tit. 6. de elect.* Dicendum tamen affirmativè cum Joan. Andr. in *c. Quoniam h. t.* nam in hoc casu non rectè arguitur ab electione ad

præsentationem; ratio est, quia ut prodeat electus, electio debet fieri *communiter*, & *nomine Communitatis*; ad quòd verificandum, omnino exigitur præsentium Capitularium major numerus *absolute*; at in nostro casu præsentatio non fit *communiter*, seu nomine Communitatis Patronorum, ut ponitur in casu; ergo; & ita tenent Azor *p. 2. l. 6. c. 21. g. 20.* Sylvester V. *ius Patronatus g. 13.* & alii.

ARTICULUS XII

Quid possit Ordinarius circa beneficia Patronata?

CUM provisio, quam Ordinarius impendere potest beneficiis Patronatis, non sit illi libera, nec pendeat ex ejus liberalitate; sed sit necessaria, fierique debeat ex necessitate, supposita habilitate legitime præsentati; plures quæstiones circa hanc ipsam necessitatem moveri possunt v. g. an institutio in beneficio Patronato facta, sine consensu Patroni, solum sit illicita? an etiam invalida? &c. de quibus præfenti articulo.

§. I.

Quid circa beneficia Patronata possit summus Pontifex?

NON est dubium, cuilibet patronati non tantum Ecclesiastico, sed etiam Laico derogari posse à Summo Pontifice ex justa causa, ut docet communis, prout videri potest apud Castropalaum *tom. 2. tr. 13. D. 2. p. 10. n. 1.* nam esto Pontifex alicui concedat facultatem providendi beneficio vacanti per electionem, postulationem, præsentationem, collationem, confirmationem, vel institutionem; nunquam tamen ita concedit, ut sibi circa hoc potestatem adimat supremam, super iisdem, cum visum fuerit, ex justa causa disponendi, ut ostendimus *supr. Dixi ex causa justa*; nam sine hoc non sicut ageret, nec enim justum est juri alterius, sine causa rationabili derogare, imò, ut refert Castropalaus *cit. p. 10. n. 1. signatè in Tridentino Sess. 25. de Reform. c. 9. cautum*

tum est, ut, si Patrono patronatus Ecclesie tollatur, ei restituantur, quæ in acquisitione talis Juris contulit; quod tamen non videtur intelligendum, de casu, quo in pœnam illo privaretur, ut, si hoc directè ac seorsum ab aliis bonis vendidisset, venditione simonicâ.

3168 *Not.* autem 1. Pontificem, esto scribat, ut alicui provideatur in certa Ecclesia, si non faciat mentionem per hanc, vel similem clausulam, (*esto sit de Patronatu Laici*) non censeri velle derogatum Juri talis Patroni; cujus ratio est; quia Jus Patronatus, concessum Laico, quantumvis sit gratia Ecclesie, est tamen aliquo modo onerosum; cum supponat in Patrono meritum fundationis, constructionis, vel dotationis, adeoque est Jus acquisitum ex titulo oneroso; ergo Ecclesia, nisi exprimat, non intendit illi derogare, ut ostendimus *l. 1. tit. 3. de Rescriptis*.

3269 *Not.* 2. In casu, quo summus Pontifex per Rescriptum derogaret expressè Juri Patronatus Laici, in dubio præsumi eum procedere ex justa causa; quamvis in hoc casu diversa sit ratio inter Patronatum *Laicum*, & *Ecclesiasticum*, iste enim est merum beneficium; cum non detur ex aliquo quasi contractu, & remunerativè, sicut Laicis; sed solum ratione ipsius Ecclesie; quo posito intelligitur Patronatum *Ecclesiasticum* esse merum Privilegium; *Laicum* autem, onerosum, & remuneratorium; constat autem, ad auferendum alicui Privilegium, seu Jus quæsitum ex titulo oneroso, requiri majorem causam; quam ex mero beneficio, & gratia; ergo ad derogandum Patronatum *Laico* requiritur major causa, quam ad derogandum *Ecclesiastico*. Quare, nisi exprimat, nunquam censetur derogatum Patronatum *Laico*, ne scilicet retrahantur Laici à foundationibus Ecclesiarum, videntes prærogativas, & Privilegia sibi concessa, ob quorum consecutionem proprias divitias consumpserunt, passim, & absque urgenti causa tolli, ideoque Concilium *d. Sess. 25. c. 9. de Reform.* dixit: *Patronorum jura tollere, piisque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est.*

3270 Ex hoc deducitur, sub generali beneficiorum reservatione, tam in *c. 2. de*

Tom. III.

præbend. in 6. quàm in 8. regul. Cancellar. vel alia reservatione, non venire beneficia, quæ sunt de Patronatu Laico; quia hæc sub nulla dispositione odiosa veniunt, nisi exprimantur, ut dictum est; idque propter magnum favorem, quæ Ecclesia impensum vult *Laicis*, Ecclesiarum Fundatoribus, ut constat ex Concilio, de quo in præcedent. at *reservatio* odiosa est, ut communiter tradunt Doctores; ergo. Et hoc etiam procedit de Laico: qui est in possessione Patronatus, esto in re Patronus non sit; ita Lessius *l. 2. just. c. 34. D. 9. n. 36.* Azor *p. 2. l. 6. c. 23. q. 2.* Hac porro expressâ derogatione non opus esse, cum Pontifex disponit de beneficio, quod est Patronatus *Ecclesiastici*, constat ex ratione in oppositum; quia Patronus Ecclesiasticus habet Jus illud solum vel ratione Ecclesie, vel concessione Patroni Laici, quod est mera gratia, ut diximus; ita Lessius cit. Covarr. *pract. qq. c. 36.* Gonzalez *ad 8. regul. Cancellar. gloss. 18. n. 6. V.* Neque dictis obstat, in Decretis reservationum poni clausulam generalem: *ad cujuscunque presentationem pertineant*, verificatur enim sufficienter de præsentationibus, quæ fiunt à Patronis Ecclesiasticis, *cujuscunque dignitatis* sint.

Not. 3. si sint plures Patroni ejusdem Ecclesie, & ex his aliqui Laici, alii Ecclesiastici, pari numero utrinque, per generalem clausulam reservationis talem Patronatum (quem vocant mixtum) non censeri reservatum; secus, si numerus Clericorum sit major; primam partem tenet Cavarr. *cit. c. 36. n. 5.* Azor *p. 2. l. 6. c. 26. q. 5.* & alii, quia Laicus per Societatem cum Clerico in tali casu non est privandus jure suo, stante pari numero utrinque; sic enim nec suffragio prævalerent Clerici, & aliunde in hoc est major Laicorum favor, ut constat ex dictis. Secundam partem tenent Azor, Lessius, Gonzalez & alii sup. cit. Nam in ejusmodi casu major pars suffragiorum, præsertim eorum, quibus major cura, & Zelus est Ecclesiarum, trahit ad se minorem, ut supra diximus; tum quia talis Patronatus videtur potius simpliciter Ecclesiasticus, denominatione sumptâ à digniori, & potiori.

Not. 4. quamvis Jus Patronatus, 3272

Ccc cc

com.

competens Laicis ex privilegio, praescriptione, vel consuetudine, sublatum sit per Trid. *cit. Sess. 25. c. 9.* nisi Patronatus esset super Ecclesiam Cathedralis, vel competens Regibus, regnaque possidentibus, supremisque Principibus, aut in favorem studiorum generalium concessum, si tamen adhuc penes aliquem non exceptum foret, ei derogari sine derogatione speciali, ac si Ecclesiastici Patronatus jura forent. Quia cum in his casibus nihil ex suo Laici contulerint, eadem mensuram, ac Ecclesiastica jura de illis est judicandum: Sic docet Covarru. *dict. c. 36. n. 6.* Gonzalez. *Gloss. 18. n. 18.* Azor *2. p. instit. mor. lib. 6. c. 23. q. 4.* Lessius *l. 2. c. 34. dub. 9. n. 42.* Intellige tamen de derogatione facta per Papam; nam coeteri Praelati inferiores, neque huic juri, neque alteri Ecclesiastico juri derogare possunt; quia privilegiis à jure concessis nequit Episcopus derogare.

S. 2.

Quid circa Beneficia Patronata possit Legatus à Latere?

3273 **D**E hoc casu agitur *c. cum dilectus* 28. *h. 2.* ubi, cum Legatus Apostolicus Ecclesiam in Archidiaconatu Carnotensi primò vacaturam Ecclesiam pro G. Clerico suo, reservasset, Archidiaconus autem contra mandatum Legati ad dictam Ecclesiam non praefatum G. sed alium Clericum H. praesentasset, & Episcopus Ecclesiam illam Clerico H. assignasset, ipse verò H. sibi eandem, utpote ad praesentationem Archidiaconi, tanquam veri Patroni spectantem confirmari peteret, Innocentius III. casu ad se delato, respondit, si Archidiaconus praefatum G. tanquam Patronus Laicus praesentavit, quia tamen à dicto Episcopo non ille, sed Clericus H. admittus, & institutus fuit juxta statutum Alexandri Papae, quod refertur in *c. quod autem* sup. non primum, sed secundum fuisse jus assecutum in Ecclesia S. Martini: Si verò Archidiaconus praefatum G. praesentavit tanquam Patronus Clericus; quia ea ratione subditus erat jurisdictioni Legati Apostolici, qui concessionem illi-

us Ecclesiae sibi reservari jussit, non potuisse alium praesentari; ideoque praesentationem ipsius non quidem canonice factam, institutionem tamen ab Episcopo factam non esse irritam: quare Pontifex Ecclesiam praenominato H. judicavit cum fructibus medio tempore perceptis, Clerico G. autem perpetuum silentium imposuit.

Ex hoc textu deducitur 1. quod 3274 Legatus Sedis Apostolicae à Latere potest sibi reservare Ecclesiam, vel beneficium primò vacaturum, illudque, cum vacat, conferre certa persona, irrequisito Patrono Ecclesiastico: non autem inconsulto, aut invito Patrono Laico, vel Clerico, cui jus praesentandi competit, ratione patrimonii; atque adeo, quod derogatio beneficiorum Juris Patronatus à Papa facta comprehendit tantum beneficia, quae sunt Juris Patronatus Clericorum, non autem Laicorum, quae expressam requirunt derogationem, quod fit, quòd Legatus de Latere (quamvis sit praeter Papam Ordinarius Collator beneficiorum in sua Provincia, ut constat ex *cit. c. cum dilectus*) in unione facienda, si Jus Patronatus sit seculare, teneatur consensum Patroni requirere; non ita, si sit Ecclesiasticum. Sic Rebuffus in praxi benefic. de Unionibus n. 28. Azor *p. 2. l. 6. c. 28. q. 12.* Sanchez in *Decal. tom. 2. l. 7. c. 29. n. 169.*

Deducitur 2. praeter alias differentias inter Patronum Ecclesiasticum, & Laicum, ex hoc *c.* colligi etiam aliam, nimirum, quòd Ecclesiasticus, non autem Laicus, etiam quoad Jus praesentandi subsit Legato de latere, consequenter iste illo etiam irrequisito possit sibi reservare beneficia Patronatus Ecclesiastici, eaque conferre, ut constat ex textu dicti *c. cum dilectus*, sup. quod intellige, quando Clericus Patronatum habet *ratione Ecclesiae*, aut bonorum ejus, non autem, si ratione sui Patrimonii in fundationem, constructionem, vel dotationem talis Ecclesiae impensit; talis enim Patronatus, quantumvis competat Clerico, non Ecclesiasticus, sed secularis, seu Laicus est; cum non dicatur ab habente, sed à titulo, ratione cujus eum habenti competit, ut supra diximus & colligitur etiam ex distinctione, quam in

in dato casu observavit Pontifex, an ille Archi-Diaconus presentaverit *ut Clericus?* an, *ut Laicus.*

3276 Deducitur 3. quod Clericus habens Patronatum Jure Patrimonii, in presentatione possit variare, colligitur ex cit. c. *cum dilectus*, ibi: non *primus*, sed *secundus*, &c. licet hic presentans fuerit Archi-Diaconus, non tamen reprobatur ejus presentatio, quantumvis plurium, seu cumulativa, si tamen presentavit Jure Patrimonii, consequenter *ut Patronus Laicus.* Deducitur 4. quod Patrono Laico invito, aut inconsulto, non potest Episcopus, aut alius Ordinarius, nec etiam Legatus Papa Ecclesiam patronatam conferre, aut super illam pensiones imponere, quod satis aperte ostendit textus in c. *cum dilectus*, quatenus distinguit inter Laicum & Clericum Patronum, patet, ibi: *siquam Laicus*, & ibi: *siquam Clericus*, quae non erant necessaria, si Legatus posset conferre beneficium, seu reservare in praedictum Patroni Laici. Accedit quod Pontifex constituendo officium Legationis non censetur illud creare cum praedictum Laicorum Patronorum, ex *reg. in L. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publ. ac subinde cum per collationem, seu reservam maximum fiat praedictum Laicis Patronis, necessario dicendum est ex defectu potestatis, Legatum talem collationem, seu reservam facere non posse.*

§. 3.

Quid circa beneficia patronata possint Episcopi?

3277 Episcopis, & aliis Praelatis, Papam inferioribus, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suis territoriis, de jure competere potestatem instituenti presentatos ad beneficia sua diocesis, jam supra dictum est. In presenti dubium est, an valeat institutio in beneficio patronato ejus, non facta ad presentationem Patroni? R. quod regulariter non valeat; colligitur 1. ex 16. q. 7. c. *decernimus* 32. quod desumptum est ex Concilio Toleran. 9. c. 2. ubi textus sic loquitur: *decernimus, ut quamdiu*

Tom. III.

fundatores Ecclesiarum in hac vita superstitibus extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos 1. quod, si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc, quos Episcopus loci probaverit DEO placitos, sacris cultibus instituat cum eorum Conniventia servituros. Quod si ipse ejusdem fundatoribus Rectores ibidem praesumerit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, ad verendum suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari. Colligitur 2. ex c. *Illud. 8. h. t.* ubi dicitur: Quod si laicus, Jus Patronatus, vacante Ecclesia, religioso loco contulerit, & aliquis sine presentatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesia institutus, ejusdem secundum rigorem juris est institutio irritanda.

Dixi: *regulariter non valere*; nam 3278 aliqui casus sunt excepti. 1. si Patronus Ecclesiasticus intra 6. Laicus autem intra 4. menses neglexit facere presentationem; nam tali casu jus presentandi elapso termino, devolvitur ad Ordinarium; ut diximus superius, & habetur c. 2. de suppl. neglig. Praelator. 2. si Patronus presentat indignum, ex dict. sup. & habetur cit. c. 2. 3. Si tale beneficium conferatur à Papa, vel ejus legato de latere; sed hoc intellige in casu, quo beneficium est Patronatus Ecclesiastici, nam id non procedit de Legatis, quando beneficium est de Patronatu Laicorum pro tali casu ex n. 3273. 4. Si Patroni discordent, de quo superius jam actum est. *Not.* autem casum, quo diximus Jus presentandi pro illa vice devolvi ad Ordinarium propter negligentiam Patronorum, debere intelligi, si intra tempus à Jure praescriptum, ac à die, quo vacationem beneficii sciverunt, *negligentes fuerunt*, & quidem omnes, si relatè ad tale beneficium preventur propter negligentiam, nam si unus ignorasset sic ut comparatione illius terminus Juris, à die scientiae computatus, nondum elapsus foret, non fieret devolutio, sed in eo tunc staret Jus presentandi, ceteris negligentibus

Ccc cc. 2

pro

pro tunc exclusis; sic Garcia de *benefic.*
p. 10. c. 2. n. 41.

3279

Dubium 2. est, an hi, ad quos pertinet Jus instituendi præsentatos, teneantur instituere, si aliàs idonei sint, antequam coram ipsis intra terminum, præsentantibus assignandum ab ipso instituente, assignata fuerit præsentato congrua sustentatio ex redditibus Ecclesiæ, pro qua præsentatur? R. quod non, ex Clem. *Ut Constitutio. i. h. t.* ibi: *Dioecesanis sub obstestatione divini iudicii districtius inhibentes, ne præsentatum aliquem per quamcunque personam Ecclesiasticam, Jus præsentandi, ad Ecclesiam aliquam, habentem, admittant, nisi intra certum terminum competentem, per Dioecanos ipsos præsentantibus præstendum, ipsi præsentato fuerit coram eis (ut præscribitur) congrua, de proventibus Ecclesiæ, portio assignata.*

3280

Circa istam Constitutionem in hac Clem. not. 1. per eam 1. declarari, quod aliàs in hoc puncto constitutum fuerat in c. 1. de præbend. in 6. Deinde etiam quædam adjici nova, ut patet ex ejus initio, ibi: *ipsam declarare, ac quædam adjicere*, consultâ hujusmodi sacri Concilii approbatione providimus. *Not. 2.* huic Constitutioni non esse locum, ubi præsentans, seu Patronus præcisè patronatum habet, & non reditus Ecclesiæ; sed is, qui instituitur in ea Ecclesiâ; consequenter solum obtinere in illis, qui præsentationem habent unâ cum temporalibus proventibus, sic *Gloss. in cit. Clem. 1. V. Jus præsentandi*; & Abbas *ibid. n. 2.* *Not. 3.* Quando Barbofa in c. 1. de præbend. in 6. n. 2. dicit, dictæ constitutioni in eo c. 1. (quod Episcopus possit recusare præsentatum per Religiosos etiam exemptos, non assignatâ præsentato congruâ portione) non esse locum, si Ecclesiâ, quæ in totum, & pleno Jure ad Regulares pertinent, cujus oppositum videmur dicere in præmissis; non esse contrarietatem, si advertas, quod Barbof. ibi; *ly in totum, & pleno Jure*, accipiat pro eo, quod est *Jure plenissimo*, ut patebit eum legenti, ibi: *puta, quia per illam tam quoad Jura parochialia, quam quoad Episcopalia, & sic quoad jurisdictionem Monasterio subji-*

ciuntur, ex quo vides inter Authores *ly Jure pleno* quandoque accipi pro *Jure plenissimo*; maximè quando additur: *in totum Jure pleno*, quandoque autem non ita, nimirum absque jurisdictione Episcopali.

Not. 4. quando concedimus, Episcopo. 3281

po facultatem in Ecclesiis Regularium, non regularibus, competere Jus instituendi vicarios, intelligi, etiam si Ecclesiæ sint Regularium exemptorum, si eis non subsint Jure plenissimo, ut Constat ex c. 1. de præbend. in 6. ibi: *Nos ita volentes supra hoc salubre remedium adhiberi*, præsentati decreto statuimus, & mandamus Constitutionem hujusmodi, quoad omnes Patronos, Ecclesiarum Religiosos, tam exemptos, quam non exemptos, & alios inviolabiliter observari, consuetudine contraria non obstante. Si autem dicas, quod Episcopus taliter exerceret jurisdictionem *in exemptos* contra naturam exemptionis, nimirum, cogendo eos ad sustentationem assignandam præsentato, aliter non instituendo. R. quod in effectu repellendo aliter præsentatos, non in ipsos præsentantes, saltem directè, sed in Ecclesiam dicatur jurisdictionem exercere; ut notat Panormitanus in c. de Monachis eod. n. 6. Advertendum autem, quod obligatio assignandi congruam sustentationem præsentato coram instituente tunc solum procedat, si Vicarii perpetui, & instituti in dictis Ecclesiis Regularium ipsi teneantur portare onera jurium Episcopaliû, ac exercere hospitalitatem; non autem si ea præstet Rector principalis, prælatus monasterii, vel ipse Patronus, ut constat ex ipso textu dict. c. 1. & Clement. 1. de qua supr.

Ex hoc habetur, dupliciter accipi *congruam sustentationem præsentato assignandam* à præsentante 1. prout importat præcisè victum, & vestitum 2. prout præter hæc importat etiam onera solvendi jura Episcopalia, exercendi hospitalitatem &c. Quare cum in dicto c. 1. de præbend. in 6. & Clem. 1. de jure Patronat. dicitur 1. præsentatum ab Episcopo, quoad institutionem reculari posse, si Patronus intra terminum constitutum præsentato coram instituente non

te non assignaverit congruam sustentationem; procedit solum in casu sustentationis in secunda acceptione, ut liquet ex dict. 1. ibi: *Sane fuit per Sedem Apostolicam providè constitutum: ut Diocessani locorum ad presentationem religiosorum nullum ad aliquam Ecclesiam recipiant, nisi tantum & de proventibus ipsius Ecclesiae coram eis fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possint solvere, & congruam sustentationem habere;* ita Layman. in QQ. Canon. de Prælat. elect. n. 209. Pirhing de Jure Patron. n. 29. in fin.

§. 4.

An Episcopus Ecclesiam Patronatam donare, vel unire possit alteri Ecclesiae?

5283 **Q**uestio procedit de casu, quo id faceret sine consensu Patroni? videretur affirmandum saltem in casu, quo id necessarium foret propter paupertatem præbendarum Ecclesiae Cathedralis, idque ex c. *Exposuisti* 33. de præbend. Ubi, cum Episcopus Vesprimiensis exposuisset Honorio III. quod Ecclesiae suae Canonici, diminuta ipsorum provisione, à tempore Concilii generalis cum eis *ex tunc* non fuerint ad eorum sustentationem concessa capellæ, sicut ante fieri consuevit, de præbendarum suarum redditibus nequeunt sustentari, propter quod plures eorum eadem Ecclesiam relicta in ejus servitio, in Clericatus coguntur *opprobrium* aliorum se obsequiis mancipare, & simul supplicasset, ut de Capellis eisdem provisionem eorundem amplificare de Pontificia permissione liceret: Honorius rescripsit; cum per hoc statutus ejusdem Concilii derogeretur, quæ servari volumus inconcussè, te in hac parte nequivimus exaudire. Verum, illorum paupertati paternò compatiens affectu, & tibi, prout exposcit tuæ devotionis meritum, gratiam facere cupientes, Fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, si evidens necessitas, vel utilitas exigat, præbendas Ecclesiae tuae poteris de Capellis in perpetuum annexendis eisdem (sicut discretione prævia expedire videris) augmentare, refer-

vata congruam capellarum Presbyteris portione.

Verum ex hoc textu non rectè ducitur affirmativa; nam, licet ex speciali casu Episcopus (nimirum propter paupertatem præbendarum Ecclesiae Cathedralis) eis annexere possit Capellas reservatà ipsorum Presbyteris congruam portione, ut habetur in *cit. c. 33.* ac idem etiam dicatur in *Trid. Sess. 24. de reform. c. 15.* ibi: *in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbende simul cum distributionibus quotidianis, ut suslinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci, & personarum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen Regularia, iis unire;* nullibi tamen loquitur de beneficiis, vel Capellis patronatis, non requisito Patronorum consensu; cum eos nolit privare jure suo, quod tamen fieret admittà ejusmodi unione, ut dicemus in seqq.

Advertendum præterea, quod licet c. *Exposuisti*, pro dicto casu, concedat Episcopis unionem Capellarum finitè; & Tridentinum beneficiorum simplicium indefinitè (exceptis tamen regularibus) non propterea sub illa generalitate venire Capellas, & beneficia patronata; 2. hujusmodi unionem eo modo debere fieri, ut *singulis* præbendis singula beneficia uniantur, non omnibus simul indistinctè unum, aut plura; idem Steph. Grat. discept. forens. c. 274. n. 34. in fine. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. *Gloss. 37. n. 25.* ubi etiam refert, Concilium loco cit. non concedere facultatem uniendi mensa Capitulari, sed, tenuibus præbendis singulorum Capitularium, quod etiam tenent Aloyf. Riccius *collect. decis. p. 4. collect. 1067. in fine, & in praxi rerum fori Ecclesiast. decis. 488. in 1. edit. & resol. 379. n. 4. in 2. edit.*

Altera probatio, quod Episcopus beneficium patronatum sine consensu Patroni, etiam Ecclesiastici, non possit alteri donare, vel unire, sumitur ex c. *Suggestum*. 20. h. t. nam, cum ad Pontificem delatum esset, quod Ecclesiae quadam, de assensu Domini fundi, auctoritate Eboracens. Episcopi, Ecclesiae beati Petri

Ccc cc 3

Eborac.

Eborac. concessa, & assignata essent in præbendam; Canonici autem de Novoburgo concessionem illam irritare niterentur, occasione donationis, quam sibi asserunt prius factam: resolvit Pontifex: *licet in donationibus Ecclesiarum requirendus sit, & expectandus Patronorum consensus; quia tamen Ecclesiæ, nisi auctoritas intervenerit Pontificalis, canonicè concedi non possunt, significamus: quod prior concessio, si cum consensu Patroni, & auctoritate Diocesani Episcopi facta est, aut ejus assensus fuerit postea subsequutus, posteriori concessioni præfertur, alioquin illa debet præferri, quamvis posterius facta, que consensu Domini fundi, & Episcopi auctoritate fulciatur.*

3287 Ex hoc textu deducunt communiter Doctores, desiderari consensum Patroni, ut Episcopus Ecclesiam, quæ Juris Patronatus est, valeat donare, vel unire; Sic Rebuff. in praxi benefic. reg. 21. Cancellar. de unionib. *Gloss. 11. n. 6. Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Sanchez in Decal. Tom. 2. l. 7. c. 29. n. 168.* Et ratio est, quia per talem unionem Patronus amittit jus præsentandi; quod ipso invito fieri non potest ex 16. q. 7. c. *Monasterium* 33. ibi: *Monasterium, vel Oratorium, Canonicè constructum, à domino Constructoris eo invito non auferatur, liceatque illi, Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius diocesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.* Quod desumptum est ex Romana Synodo Eugenii II. & Leonis IV. c. 21.

3288 Videtur tamen limitandum, ut consensus Patroni non desideretur, si requisitus, exhibita etiam manifesta, & urgente necessitate Ecclesiæ, nolit consentire; Sic c. *Nobis* 25. h. t. n. 10. quia gratia, quam Patrono facit Ecclesia, non debet eidem esse damnosa; præsertim, urgente gravi necessitate, ne in casu Patroni, non rationabiliter invitati; ejus contumacia præferatur bono Ecclesiæ, consensum ejus tam rationabili, & justa causa requirente.

3289 Dices: ergo poterit Episcopus Ecclesiam, vel beneficium patronatum alteri Ecclesiæ concedere in proprietatem, seu per modum incorporationis, ac ex redditibus Ecclesiæ patronatæ in alia Ecclesia

præbendas, seu beneficia erigere sine consensu Patroni, saltem si Patronus per hoc Jus Patronatus non amitteret, sed adhuc posset præsentare ad illud, hoc illatum, tam indefinitè factum, esse negandum. 1. quia Patroni interest, ne bona, & redditus Ecclesiæ patronatæ alienentur, vel uniantur, aut supprimantur, ideo in hoc casu se opponere potest. arg. c. *Filiis* 31. caus. 16. q. 7. Abbas in cit. c. *suggestum* n. 3.

Deinde, quia facultas Episcopo facta, quoad præsentem casum, est restricta tum per c. *Exposuisti*, tum per Trid. in n. 3284. ad solum casum, quo præbendæ Canonicorum, insufficientes ad eorum sustentationem, id exigunt evidenti necessitate, & Patroni irrationabiliter sunt invitati, ut præmisimus ex c. *suggestum*.

Præter hæc dubium est 1. an Episcopus possit, etiam contradicente Patrono, redditus Ecclesiæ patronatæ applicare ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ, v. g. erigendo novum beneficium, si hoc exigat ejusdem necessitas, vel utilitas? R. quod sic; tum quia nullum præjudicium per hoc fit Patrono, cui Jus præsentandi integrum manet; tum quia tota ordinatio & dispositio circa bona Ecclesiæ patronatæ, non ad Patronum, sed Episcopum spectat cit. c. *Filiis*. S. *ipsis tamen*, & c. *Noverrunt*, 6. caus. 10. q. 1. ideoque Patronus se immiscere non debet, nisi appareat jura, & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, aut immitti, vel in alium finem, aut usum, locum, vel personam contra institutionem transferri, Innocent. in c. 3. n. 3. *de privil.* Abb. in cit. c. *suggestum* n. 3.

Dubium est 2. an concessio Ecclesiæ, per modum incorporationis facta, à Patrono alteri Ecclesiæ per subsequentem Episcopi consensum ratificari, vel confirmari possit, ut saltem ex eo tempore valeat? R. quod sic, ex dict. c. *suggestum* ibi: *significamus, quod prior Concessio, si cum assensu Patroni, & auctoritate Diocesani Episcopi facta est, aut ejus assensus fuerit postea subsequutus, posteriori concessioni præfertur, ubi not. quod textus requirat consensum & Patroni, & Diocesani; hoc tamen discrimine, quod*

An in Ecclesiis Patronatis, ad presentationem Rectoris earundem presentati possint ab Episcopo ordinari?

quod consensum Dioecesei nominet authoritativum seu authoritatem, ut discrimen indicet inter assensum Patroni, & assensum Dioecesei, quod in alienatione ipsius Ecclesie consensus Dioecesei substantialiter intervenire debeat, cum in tali casu sit alienans principalis (ut notavimus tit. 13.) non autem assensus Patroni. Ex hoc enim fit, quod alienatio Ecclesie patronata à Patrono facta sine autoritate Episcopi nec naturaliter valeat, dum accedat Autoritas Episcopi; secus alienatio facta ab Episcopo facta sine assensu Patroni. Nam in 1. deficit assensus, qualiter est de substantia translationis; secus in 2. Patronus enim in eo casu, quo una Ecclesia donatur, vel unitur alteri Ecclesie non est principalis contrahens, seu donans, aut uniens; & ideo etiam valet secunda Concessio Ecclesie facta alteri Ecclesie per Episcopum & Patronum, etiam obstante priori facta per Patronum solum ex cit. c. *suggestum*; quamvis si deinde donationi facta ab Episcopo accedat illi etiam assensus Patroni, alienatio ab Episcopo facta de jure positivo valebit etiam à principio.

3292 Dubium est 3. an in casu, quo Patronus suum Patronatum donat Episcopo intuitu Ecclesie Cathedralis, talis Ecclesia patronata evadat collativa? R. affirmative, si jus presentatum instituen- di pertinebat ad eundem Episcopum, nec habeat Compatronum, quia tunc jus providendi Ecclesie est penes Episcopum donatarium non expectata alterius presentatione, vel electione; ergo est collativum. Dixi: *si jus instituendi* in tali Ecclesia sit penes ipsum donatarium; nam si pertineret ad alium, maneret patronatum, & talis Episcopus donatarius in casu vacantis Ecclesie deberet presentationem illi facere, ad quem pertinet instituere presentatos in tali Ecclesia, & admitti deberet, esto Ecclesia foret in alia Dioecesi per c. *significasti* 18. h. 1. Dixi 2. si nec habeat Compatronum; nam iste non posset privari jure suo, consequenter ejus presentatio expectanda foret, quo stante beneficium nequit esse collativum, ex dict. supra.

DE hoc agitur in c. *postulasti* 30. h. 1. 3293 ubi cum Episcopus Auriensis ex Innocentio III. quasivisset, an, cum Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam presentant ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad Patronos; & si in his patronorum non est acquirendus assensus, utrum jus illis saluum maneat eligendi, ut, cum ipsas Ecclesias vacare contigerit, intitulati hujusmodi non sint aliis preferendi? ad quod breviter R. Pontifex: *quod per intitulationem hujusmodi nullum Patronis prejudicium generetur, quin possint alios, ad illas Ecclesias cum vacaverint, presentare, nisi de Patronorum processisset assensu.*

Ex hoc textu deducunt communiter, quod, si Rector Ecclesie parochialis presentet aliquos ordinandos ad titulum suae Ecclesie, non requisito Patrono; & ordinentur, non prejudicet Patrono; quia ipse, cum vacat beneficium, potest alios presentare, relictis istis ordinatis, & titulatis, si non consenserat eorum presentationi, & institutioni; secus, si consensit.

Sed ex hoc plures moventur quaestiones 1. an Rector Ecclesie Parochialis Patronata possit alicui assignare in suo beneficio Parochiali titulum, ut ad eum ordinetur? 2. an ad ejusmodi assignationem tituli ordinatus eo ipso censetur intitulatus, hoc est jus consecutus, ut, cum tale beneficium vacaverit, ipse in eo aliis preferri debeat, etiam presentatis à Patrono? Ad 1. R. nec Parochis, nec aliis beneficiatis competere ullum jus presentandi ordinandos ad suarum Ecclesiarum, vel beneficiorum titulos; nam vel presentarent ad titulum suae Ecclesie, aut beneficii solum temporaliter, vel in perpetuum? si primum? ad eum ordinari non possent; Cum titulus ad ordines suscipiendos in ordinando debeat esse perpetuus, hoc est ad dies vitae, suffi-

sufficiens pro decente sustentatione ad eum ordinati, ut constat ex l. i. tit. ii. si secundum? distinguendum est, an beneficium sit *collativum*? an *patronatum*? si *patronatum*? sicut id non potest Episcopus sine consensu Patroni, ut dictum est in præced; Sic à fortiore jure non poterit Parochus, vel alius Beneficiatus. Si *collativum*? poterit solum de consensu Collatoris, quo casu præsentans, dum vivit, tenebitur ei alimenta præstare ex suo beneficio, ad cuius titulum de consensu Collatoris præsentatus est ordinatus.

3295 Dices in c. *Postulasti*, non negatur Ecclesiarum Parochialium Rectoribus jus præsentandi ordinandos ad titulum suarum Ecclesiarum; sed solum dicitur, quòd, ubi consensus Patroni requiritur, talis intitulatione, sine Patroni consensu facta, non præjudicet Patronis, ut, cum Ecclesia Patronata vacaverit, ordinatus ad titulum illius Ecclesie, debeat præferri præsentatis à Patrono; ergo non debet illis negari jus præsentandi ordinandos ad titulum suæ Ecclesie salvo saltem jure Patronorum? R. i. dato anteced. N. consequ. quia vel darent titulum *perpetuum cum consensu Patroni*? & hoc non negamus; vel *sine consensu Patroni*? & hoc nec Episcopi possunt ex N. priori, vel solum *temporalem*? & insufficientis est pro ordinibus, ut jam dictum est. R. 2. dato anteced. N. consequ. quia ex hoc, quòd *ibi* non negatur beneficiatis hoc jus, non sequitur esse concessum; nam de hoc (an id jure possint Parochi?) non fuit quæstio proposita; sed, an si *Rectores Ecclesiarum aliquos præsentent* (non de jure, quod nullum ipsis tribuitur, ut rectè notat Wagner. in c. *Postulasti* 30. h. i.) sed *de facto*, & ad ejusmodi titulum ordinatus, per ejusmodi intitulationem Patronis generet præjudicium, quin possint Ecclesia vacante alios præsentare? & ad hoc respondit Pontifex, quòd non, nisi Patronus consenserit; ergo ex hoc c. non probatur intentum. An autem talis præsentatio à Parochis facta etiam de consensu Patronorum hodie, & post Constitutionem Innocentii XI. sufficiat ad recipiendos Ordines, exposuimus l. i. tit. ii.

Ex hoc colligitur etiam responsio ad 3296 secundum nempe Clericum à Parochia præsentatum pro Ordinibus ad titulum sui beneficii, in quo talis Parochus intitulatione est, etiam secuta ordinatione, non intitulari, seu obtinere titulum *perpetuum* in eo beneficio sine consensu Patroni, quando is de jure necessarius est; nam in casu, quo tale beneficium vacat, non ipse ad eum titulum ordinatus, sed is, quem Patronus præsentaverit, præferri debet, ut decisum est in dict. c. *Postulasti*, de quo n. 3293. cuius ratio est ex dictis; quia nec Parochus, nec Beneficiatus ad titulum beneficii patronati præsentando, nec Episcopus ad ejusmodi titulum ordinando, potuit illi Jus ullum in eo beneficio constituere sine Patroni consensu ex n. cit.

Dices 2. ex dicta responsione Pontificis saltem sequitur, quòd Parochi, alique Beneficiati possint præsentare Clericos ordinandos ad titulum sui beneficii, quando nullum sit præjudicium Patronis; nam cum Episcopus Auriensis duo Pontifici proposuisset. 1. Utrum Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam præsentare possint ad titulos suarum Ecclesiarum ordinandos, etiam non requisitis Patronis? 2. si in his Patronorum Consensus non sit requirendus; utrum illis Jus eligendi, sive præsentandi saluum maneat, ita, ut cum ipsas Ecclesias vacare contigerit, hujusmodi intitulati non sint aliis, quos Patroni præsentaverint, præferendi? Ad primam quæstionem Papa directè non respondet (ut notat Gloss. hic in casu) ad secundam vero ait, per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generari, quin possint alios, ad Ecclesias illas, cum vacaverint, præsentare, quos volunt, nisi illi cum assensu Patronorum intitulati fuissent, sive ad titulum beneficii ordinati, atqui per hoc etiam tacitè, ac indirectè est responsum, quòd nimirum Clerici possint validè, ac licitè præsentari à Parocho, vel alio Beneficiato ad titulum sui beneficii, etiam illud *patronatum* sit, etiam Patrono irrequisito, sine præjudicio tamen ejusdem, quoad jus præsentandi alium ad beneficium. Gloss.

Glossi hic V. *utrum electio*, ergo; sic Pirhing. de Jure Patronatus n. 126.

3298 *Re.* In hac objectione multa posse considerari, quæ ambigua sunt. 1. an beneficiati possint talem præsentationem facere *jure*, vel tantum *facto*? 2. an ea, quam *jure* facere possunt, sufficiat ad titulum pro recipiendis Ordinibus? 3. solum an ex suppositione, si facerent, etiam solo *facto*, & ordinatio sequeretur, manente nihilominus salvo Jure Patronorum, taliter ordinati præferri deberent præsentatis à Patrono in casu vacantis Ecclesiæ, quando Patroni consensus non requiritur ad talem præsentationem? 4. an si necessarius foret? quibus positis ad *Re.* Beneficiatos posse in suis beneficiis assignare alteri Clerico ordinando titulum congruæ sustentationis ex suis beneficiis, sed tantum *ad tempus*, quo ipsi habent tale beneficium; ne plus juris in alterum transferant, quam ipsi habeant; cum ergo beneficiati nullum jus habeant gravandi beneficia, onere duraturo etiam post ipsorum vitam; non poterunt ejusmodi Clericis constituere jus alimentorum ex fructibus beneficii pro casu, quo ipsi non habent beneficium; at ponuntur habere solum ad dies vite: ergo. Et ideo talis Clericus, ad ejusmodi titulum ordinatus, non habet sibi obligatum beneficium, sed *beneficiatum*, à quo præsentatus est ad ordines ex tali titulo; ubi onus solum incumbit fructibus ceteroquin competentibus beneficiato.

3299 *Re.* Ad 2. *Re.* quòd titulus alimentorum recipiendorum ex beneficio, quem beneficiatus in suo beneficio alteri dare potest ad ordines, sit solum *ad tempus vite præsentantis*; non autem *ad dies vite ordinandi* ad eum titulum, secluso alio supplente, quo deficiente non est assignatus titulus, quo ad dies vite ordinatus habeat alimenta, talem titulum non esse sufficientem ad recipiendos ordines, nisi ordinans in casu defectus illius se obliget ad præbendam ordinato sustentationem; dum ei de beneficio provisum sit in titulum; ut alibi pluribus exposuimus. Ad 3. jam constat ex n. 3293. Nam ex suppositione, quòd beneficiatus ex consensu Patroni præsentaret aliquem *facto*, non *jure*, ad

Tom. III.

titulum sui beneficii ordinandum, & Episcopus cum ad talem titulum ordinaret; ad huc ista intitutatio nullum Patrono præjudicium potest facere, ut constat ex ipso textu in n. 3293. quibus positis:

Ad object. in n. 3297. *Re.* cum dist. 3300 sequela: ex dicta responsione Pontificis saltem sequitur, quòd Parochi aliique beneficiati possint præsentare Clericos ordinandos ad titulum sui beneficii, quando nullum sit præjudicium Patronis, titulo non sufficiente ad Ordines recipiendos C. titulo sufficiente N. seq. Nam Beneficiatus non potest gravare beneficium suum disponendo de fructibus ejus, ultra dies vite suæ, vel tempus, quo illud habet. Ad prob. N. quòd ab Episcopo Auriensi prima illa quæstio (*an Beneficiati possint aliis in suo beneficio constituere titulum pro ordinibus*) proposita fuerit; quærebat enim solum, *an, si facerent inconsulto Patrono, tales Clerici propter talem intitulationem in casu vacantis beneficii essent præferendi præsentatis à Patrono, qui non consentit in ejusmodi intitulationem.* Deinde, datâ, seu permissâ ma. dist. min. atqui per hoc etiam tacite, ac indirectè responsum est, quòd Clerici possint validè ac licitè præsentari, à beneficiato, ad titulum beneficii solum temporalem, seu ad dies vite præsentantis, si illud patronatum sit, etiam irrequisito Patrono, sine præjudicio tamen ejusdem, quoad Jus præsentandi alium Clericum transeat; at titulum sui beneficii *perpetuum*. N. min. ac ejus suppositum, quòd hac intitulatione Patrono non fieret præjudicium; sic enim illo jam intitulato in perpetuum, ac vivente, inanis foret præsentatio alterius facta à Patrono, cum non possint duo simul in eodem esse intitulati.

§. 6.

An possit Episcopus Conditiones beneficii patronati mutare?

Loquimur de qualitatibus & conditionibus in prima fundatione appositis, & legitima superioris Ecclesiastici potestate admissis. Circa præsentem quæstionem statuitur in c. *Tua*, 17. de Testa.

Ddd dd

Testa.

Testament. dicitur ad Episcopos spectare, in omnibus piis voluntariis, provisionem, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici; ac executiones testamentorum, monitione praviâ compellere, ut bona ipsa, in pios usus relicta, fideliter & plene expendant.

3302 Deinde in Clement. Quia contingit 2. de Relig. domib. Clemens V. statuit, ut ea, quæ ad certum usum piis locis largitione sunt destinata fidelium, ad alium debeant, non ad alium (salvâ quidem Sedis Apostolicæ autoritate) converti. In Trident. etiam Sess. 25. de reform. c. 5. dicitur: ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliqua requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in præbendis Theologicalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, aut Subdiaconalibus, quoadcunque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur, & aliter facta provisio subreptitia censeatur; ita Concilium.

3303 Ex his juribus deducitur 1. quòd Ordinarii locorum, vel alii, qui certis locis iis præsent, non possint qualitates, vel conditiones onerum in fundationibus eorum, etiam cum consensu eorum, qui Fundatori succedunt, vel in totum, vel etiam in partem mutare, quòd intellige, si, & quamdiu observari possunt immutata, propter dicenda in seqq. Nam, ut rectè loquitur Tridentinum, ipsa ratio, & naturalis æquitas postulat, ut piæ Fidelium voluntates, ubi, & quamdiu possunt, fideliter impleantur, & quæ bene constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur, nec in alium usum, quàm eum, ad quem largitione fidelium destinata sunt, impendantur, ut habetur in cit. Clement. 2. ubi excipitur solus Summus Pontifex; ex qua exceptione habetur, soli Romano Pontifici licere piæ defunctorum voluntates commutare, sic Tiraquell. de Pri-

vileg. cautâ piæ, Privileg. 135. & complures alii, quos citat, & sequitur Barbosa p. 3. alleg. 83. à n. 1.

Deducitur 2. quòd, si provisio beneficii devolvatur ad Superiorem, ab hoc in provisione debeant servari omnes qualitates, & conditiones beneficio in ejus fundatione appositæ, & admittas; nam beneficium devolvitur cum suo onere, nec devolutione mutari possunt ejus conditiones, & qualitates sine Autoritate Sedis Apostolicæ, sic Seraphim Decif. 1363. à n. 1. & alii. Hinc, si in fundatione statutum est, ut minor, etiam 14. annis, tale beneficium obtinere valeat, illi standum est; & huic qualitatibus in fundatione beneficii appositæ non esse derogatum per Decretum Concilii Trident. Sess. 23. de Reform. c. 6. (ubi dicitur: Nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum, beneficium possit obtinere) tradunt Gonzalez ad 8. reg. Cancell. Gloss. 5. n. 91. Aloyf. Riccius. Navarr. & alii, quos citat & sequitur Barbosa in cit. c. 6. n. 7.

Deducitur 3. quòd, post Tridentinum dispensare non possit Episcopus, etiam de consensu eorum, qui Fundatori defuncto successerunt in Patronatu, ut minor 25. annis, non Sacerdos obtineat Capellam, etiam simplicem, ad quam ex fundatione præsentandus est Sacerdos, sic Garcia p. 7. de benefic. c. 1. à n. 93. sed & illud ex iisdem juribus rectè deducitur, quòd Beneficiati nec ab Episcopo, nec à Patronis successoribus eorum possint ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione non sunt imposita; sic enim esse decisum à Sacra Congregatione in una Cremonensi referet Aldanus in Compend. Canon. resol. l. 2. tit. 25. n. 16. Et ratio est ex præmissis juribus, quibus nulli, nisi Summo Pontifici conceditur aliqua mutatio in his, quæ in prima fundatione constituta sunt.

Deducitur 4. ubicunque dispositio defuncti certa est respectu causæ, personæ, loci, temporis &c. illam ab Episcopo alterari non posse; sequitur ex dict. & habetur in c. Ultima. 13. q. 2. ubi Gregorius Pontifex: Ultima, inquit, voluntas defuncti, modis omnibus conservanda debet;

debet; & L. 1. C. de sanctiss. Eccles. ita Layman. l. 4. Summa, tr. 2. c. 13. q. 6. n. 13. Sed hæc intelligenda sunt, quando, quæ in fundatione constituta sunt, etiam deinceps observari possunt; nam interdum, quæ ante complures annos congruè fieri poterant, lapsu temporis, & mutatis circumstantiis, agrè præstari possunt, aut à Successoribus observari, præsertim si pro illis oneribus tam tenues proventus sint, ut non facillè inveniantur, qui velit se huic muneri subijcere, aut obligationum numerus sic excreverit, ut non possit sigillatim omnibus satisfieri.

3307 Hanc difficultatem animadvertens, Tridentinum Sess. 25. de reform. c. 4. sic loquitur: *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impostum esse, ut illis pro singulis diebus à restatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel elemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facillè inveniantur, qui velit huic se muneri subijcere; unde depereunt pia restantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur: Sancta synodus (cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest impleri,) facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diocesana; itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinibus, ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quid quid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.*

3308 Ex hoc decreto, posse Episcopum, justâ tamen interveniente causâ, reducere numerum anniversariorum, & officiorum pro defunctis, referunt decisum Quaranta in summa Bullarii, V. Missa. pag. 291. aliàs. 402. Galet. in Margaritha casuum conscient. V. Missa. 4. Piafec. in praxi Episcop. p. 2. c. 13. n. 15. in fine. Aloysius Riccius d. resolut. 341. n. 2. Moneta, de commut. ultim. volunt. c. 5. n. 367. Barbof. d. alleg. 26. n. 4. Nicol. Garcia Tom. III.

de benefic. p. 7. c. 1. n. 131. Similiter posse reducere numerum Missarum, & anniversariorum, non modò, quæ præscribuntur in testamentis, & aliis similibus dispositionibus causâ mortis, sed etiam, quæ in donationibus, & aliis actibus inter vivos, resolvit Barbofa p. 2. de officio & potest. Episcopi allegat. 29. n. 9. & anniversaria in totidem Missas commutare posse Episcopum ex facultate illi à Concilio in præsentem attributa, tradunt Ugol. de officio Episcopi c. 61. n. 1.

In hac materia propter innumeras 3309 declarationes, quas super hoc decreto afferunt authores, ut videri potest apud Barbof. in dict. Sess. 25. c. 4. Difficile est aliquid certum statuere, Doctoribus, in diversas opiniones decedentibus; accedente quoque declaratione novissima Congreg. Card. super dubiis Concilii Trident. sub Urbano VIII. & cum ejusdem approbatione publicata, quam refert Barbofa in dict. c. 4. à n. 14. ubi primò districtè prohibet, ac interdicit, *ne Episcopus in Diocesana synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias, quomodolibet reducant onera illa Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. imposta, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apost. Sedem recurratur,* quæ re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrat, alioquin reductiones vel moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Secundò, ne in Ecclesiis, in quibus 3310 onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, & segniores reddantur, quòd onera hujusmodi, cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab eis, ad quos pertinet, *sub pœna interdicti*

ab ingressu Ecclesie ipso facto incumbenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant, penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia, Auctoritate Apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi, ac in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

3311 Tertiò quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, locorum, tam secularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, *ne posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum.* Seculares verò *sine Episcopi, seu ejus Generalis Vicarii;* Regularis verò *sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia,* in scriptis, & gratis concedenda; alioquin, si secularis hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesie interdictus sit eo ipso; Regularis verò poenam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque ulla declaratione incurrat.

3312 Quartò, quòd eleemosynas manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis, ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstinere ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & Capsulas auferant ab Ecclesiis cum scriptione illa: *Eleemosyna pro Missis,* vel alia simili, sub eisdem poenis ipso facto incumbendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

3313 Quintò præcipit, ut Episcopus, vel ejus Vicarius, aut Generalis, seu Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesie, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, ne ante assensum hujus-

modi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant; ut reditus qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, intelligantque, si in re tanti momenti, desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die, se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros. Hactenus Sacra Congregatio cum amplissima derogatione, &c. quam ad literam refert Barthol. à S. Fausto in *17. de suffrag. post. q. 91.*

Ex his deducitur 1. potestatem Episcoporum, & Generalium Ordinum in dicto Tridentini Decreto fuisse restrictam, ut sine recurso ad Sedem Apostolicam non possint validè reducere, vel constringere onera Missarum celebranda, quæ imposita sunt post Concilium Trid. aut in limine foundationis, ut habetur n. 3307. & sic etiam tradunt Piafescius in praxi p. 2. c. 3. n. 31. Dianap. 1. *resol. moral. de celebrat. Missar. resol. 1.* Garcia de benef. p. 7. c. 1. n. 131. & alii.

Deducitur 2. quòd Prælati & Superiores regulares non possint diminuerè votivas Missas, vel pro defunctis, quæ iustis stipendiis à particularibus personis petuntur, sine ipsarum consensu, quibus debentur, nam in his verè obligantur ex stricta iustitia ad præstandam obligationem natam ex contractu utrinque oneroso; sic complures apud Barbosa in *dec. c. 4. Trid. n. 9.* Hinc, si contingeret, recipiendo novas eleemosynas manuales impediri solutionem debiti prioris, seu, ut prioribus obligationibus, prout conventum est, satisfieri non possit, illicita omnino foret, & contra iustitiam talis receptio; nam debitor ex iustitia, ex eadem virtute prohibetur non apponere impedimentum impossibile cum eo, ad quod ex iustitia tenetur; & sic decisum esse à Sacra Congreg. approbante Urbano III. constat ex n. 3309. & seq.

Not. præterea dictam facultatem Ordinum, & Prælatorum Ordinum, quæ ipsis in decreto Tridentini, de quo n. 3307. concessa est, intelligendam esse, de reducendis oneribus Missarum ante Concilium Tridentinum impositis, ut tradit

tradit Diana *cit. resol. 2.* Barbof. *cit. n. 11.* & alii apud eum relati. Et quoniam sæpe contingit, quod antiquis temporibus, à Testatoribus, Ecclesiis data sint bona quadam, ex quibus annui fructus tunc sufficiebant, ut ea onera commodè præstari possent ab Ecclesiarum Rectoribus; nunc autem revera planè non sufficient, imò, qui peragere velit, vix invenitur, quandoque etiam sine damno non possit, imò fundum, pratum, vel vineam Ecclesiæ sub tali onere datum; Fundarum hæredibus restituere malit, quo illorum memoria, & pia intentio penitus interiret: non videtur dubitandum, adesse justam causam restringendi numerum talium onerum, secundum quod proventus bonorum minus sufficientes evaserunt.

3317 Legi supplicationem cujusdam Parochi, datam ad Ordinarium, qua reductionem plurium onerum petebat, quæ incumbabant suæ Ecclesiæ annuatim præstanda, v. g. ut in pervigilio anniversarii fieret officium defunctorum, cum processione circa Ecclesiam, ipso die, celebraretur solennis Missa, invitarentur vicini Parochi, à divinis daretur illis mensa &c. &c. Cum tamen redditus ad ea tempus habeat, ut pro uno vix venirent 10. cruciferi, adituo, & Musicis minus, &c. In tali casu, cum mallet hæredibus reddere fundum sub hoc onere datum, quam ea, (cum non posset sine suo detrimento) videbatur merito restringi posse, vel ad unam duntaxat Missam simplicem; vel, si pluries ea onera per annum iteranda forent, ad numerum mitiorem, sic tamen, ut in hujusmodi numero Missarum, seu anniversariorum facienda semper sit commemoratio eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute talia legata ad pios usus reliquerunt, ut dicitur in textu *cit. c. 4. in n. 3307.* quamvis Vgolinus de offic. Episcopi p. 2. c. 61. n. 1. dicat, dictæ commemorationi satisfacere posse, vel in *Collectis*, vel in *memento*; quod tamen videtur intelligendum, si tunc Missa non admitteret commemorationem, quæ per consuetas Ecclesiæ orationes pro defunctis dici solent: sic enim decet Ecclesiæ fidelitatem in recognitione datorum à defunctis Fundatoribus.

ARTICULUS XIII.

Quibus modis Jus Patronatus amittatur, vel extinguatur?

R Esp. id posse contingere diversis modis, & 1. Si Patronus ipse, juri sibi competenti renuntiet; tunc enim talis Ecclesia fit libera, ut colligitur ex *c. 1. h. r. in 6.* quod etiam ex eodem deducitur, si alteri jus suum liberè cedat; nam in primo casu extinguitur; in secundo autem, desinit in Cedente, & transit in Cessionarium, ubi etiam notandum, posse Patronum, vel ejus in Patronatu successorem, etiam remittere alias conditiones in suum Patroni favorem, cum consensu Ordinarii appositas in fundatione, vel dotatione, aut constructione Ecclesiæ, non tamen appositas in favorem divini cultus, aut totius familia; licet enim præjudicare possit juri in suum, non tamen, in favorem aliorum indulto.

3319 Secundò amittitur Jus Patronatus, quando de consensu Patroni Ecclesia patronata transit in *electivam*; nam tali casu locus esse non potest exercitio patronatus, seu præsentationi, sed electioni, ad quam Patronus, dando activè suffragium, Jure Patronatus se immittere non potest, quamvis, si ei concedatur, intractatu electionis partes suas interponere valeat, ut habetur *c. Nobis. 25. h. r. ibi: Caterum in Conventuali Ecclesia non electioni Pralati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus; nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.*

3320 Tertiò amittitur, si Ecclesia Patronata *accessoriè* uniatur Ecclesiæ non patronatæ, sed v. g. *electivæ*; Nam Ecclesia accessoriè unita alteri ut dicemus in seqq. perdit suas qualitates, & transit in eas, quas habet altera; at ubi Ecclesia, cui sic unita est, non admittit præsentationem, sed electionem, nec taliter unita illam admittet, & ubi locus relatè ad aliquam electionem non est præsentationi, nec locus est Patronatus: ergo. Sic Joann. Andr. in *c. 2. de Relig. Domib.*

3321 Quarto si Ecclesia Patronata sic destruat, ut non amplius sit usui pro celebrandis inibi divinis, nec spes sit reedificationis; quia sic habetur tanquam non

ens, cujus nullæ sunt qualitates; ita Zoësius *h. r. n. 68.* Unde si alius talem Ecclesiam suis sumptibus repararet, & in ea sibi Jus Patronatus de consensu Episcopi reservaret, reparanti Ecclesiam Jus Patronatus acquireretur; neque per hoc priori Patrono injuria fieret; nam iste in rem non amplius existentem nullum Jus habet. Venit autem hoc intelligendum de reparante Ecclesiam collapsam, hoc est penitus destructam; si enim fieret reparatio tantum unius partis destructæ, primo Patrono jus suum non interisset in re adhuc simpliciter extante.

3322 Quinto si Patronus non præsentavit iusto impedimento cessante, & ipso sciente, ac patiente, Rector Ecclesiæ illi datus est, nullo præsentante; nam tali casu Ecclesia per ejusmodi usum & exercitium acquisivit Jus liberæ collationis; cum præsumi merito ex hoc possit, Patronum Jus suum dereliquisse. Sexto extinguitur extinctâ familiâ, seu agnatis, quando concessum est tali familiæ solum, & agnatis, tum enim deficit subiectum.

3323 Septimo extinguitur per crimen, quod commisit Patronus circa personam Rectoris, quem per se, aut per alium occidere, aut mutilare præsumpsit *c. penult. inf. de penis.* Quo casu ad Ecclesiam revertitur Jus Patronatus, aut extinguitur potius, ipsâ Ecclesiâ manente libera, ut hæredibus Patroni nihil juris super sit, quod prætendant: meretur enim factum hoc Patroni, ut cum sua posteritate excludatur, indignus, qui à loco, in quem commisit, beneficium expectet. Huic Zoësius *cit. n. 68.* annumerat casum, quo quis Jus Patronatus simoniacè acquisivit, per *c. Quia Clerici. 6. h. r. ibi: precipimus, ut id arctius inbibere procuret; eosdem advocacionibus, taliter acquisitis, appellatione postpositâ, spoliando.* Possent tamen dici, nunquam istis tale Jus acquisitum esse, & illam privationem intelligi, de ablatione Juris, quod ejusmodi Clerici habuerunt *solo facto*, non jure.

3324 Octavo, Patronus amittit Jus Patronatus lapsu in hæresim, cum hæretici exantur omnibus Privilegiis, actionibus &c. &c. per *c. Excommunicamus. 13. §. Credentes. de hæret.* quod maxime procedit de gratiis, quas obtinuerunt ab Ecclesia, cum tales etiam exantur temporalibus per eo-

rum confiscationem, *c. Cum secundum 19. eod. in 6.* & quoniam poenitentia non tollit poenam inflictam ipso Jure, nec, cum abjurata hæresi redeunt ad sanam mentem, Patronatum recuperant; sic Zoësius *cit. n. 69.* & alii communiter.

ARTICULUS XIV.

Qua ratione Jus Patronatus probandum sit?

Cum sæpe controversum sit, an hic, vel ille ad beneficiorum præsentationem admittendus sit? quovis eorum asserente, Patronatum sibi, non alteri competere, multique sibi cum arrogent, quandoque non jure, sed facto, & usurpatione, nulla etiam probabili ratione fundati, nisi communi voce, *sic semper fecimus;* Concilium Tridentinum malis hisce medelam statuens, ad præsentem quæstionem respondit Sess. 25. de Reform. c. 9. in hæc verba: Decernit Sancta Synodus, ut titulus Juris Patronatus probandus sit *ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostenditur, si ve etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum Juris dispositionem: in iis vero personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id Jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio, ad docendum verum titulum, requiratur; nec immemorialis temporis probatio, aliter eis suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortite sint; authenticis scripturis probentur.*

Ex hoc textu Tridentini colligitur 1. quod Concilium assignet triplicem titulum, unde quis probeat Jus Patronatus sibi competens; primo scilicet per authenticum documentum, & alia de jure requisita; 2. probando titulum fundationis, extructionis, vel dotationis; 3. ex continuatis præsentationibus per immemorabile tempus; & hi tres modi probandi videntur exigi, cum *privatis personis* incumbit onus probandi Patronatum sibi competere; nam in his non præsumitur usurpatio, sicut contingit, quando agitur de Patronatu *Magnatum, & Communitatum*

ratum, seu Universitatum; & ideo ipsum Concilium distinguit probationem faciendam pro Patronatu particularium personarum, à probatione pro Patronatu Magnatum, & Communitatum, in quibus illud jus plerumque, ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, propter quod in privatis plenior, & exactior probatio veri tituli exigitur. Jus porro ex usurpatione quarere, teste Budæo apud Pereyram in Elucidario n. 732. est capere possessionem, qui n. 933. ait: Usurpare, apud Latinos idem esse, ac in frequenti usu habere, sive verbis, sive factis; ac apud Juristas (quando sumitur in bonam partem) esse idem, quod est usucapio L. 2. ff. de injuriis; quamvis (si accipiatur in malam partem) denotet aliquid contra jus, usum & consuetudinem invadere; quibus præmissis:

§. I.

De Probatione per Documentum authenticum.

3327 **P**rima quæstio est, quid veniat nomine *authenticæ documentis*? ante responsum not. quod nomine *authenticæ documentis* veniat publica scriptura duorum, vel trium testium subscriptione, vel præsentia confecta per manum publicam, cuique necessarîo fides adhibetur. Gloss. in c. 1. de fide instrum. de quo plura diximus l. 2. tit. cit. de fide instrumentorum. Not. 2. in præsentia materia sub nomine *authenticæ scripturæ* venire consensum Episcopi in scriptis concessum, ad fundandam, construendam, vel dotandam Ecclesiam, quæ posita consequuntur jura, quæ beneficio Ecclesiæ, Fundatoribus ejusmodi, Constructoribus, vel Dotatoribus Ecclesiarum conceduntur; sic relato Aloysio Riccio in praxi fori Eccles. ref. 125. tradit Barbof. 3. p. de potest. Episc. alleg. 72. n. 24.

3328 **N**ot. 3. si fortè non amplius haberi posset originalis, seu *authenticæ Scripturæ*, jussu Episcopi in eum finem confecta, sed solum illius exemplar, seu transumptum, opus omnino esse, ut, si per id exhibitor fidem facere, ac debitam probationem præstare cupiat, habeat omnia ad id, de jure requisita; de quibus egimus l. 2. cit. iii. de fide instrument. nimirum, ut sit autoritate Judicis extractum cum ci-

tatione illorum, quorum interest, & cum originali sit recognitum, si de ipsius fide dubitaretur, & illud haberi posset, de quo plura remissivè ad loc. cit. his positis:

Dubitatio est, an sola *Scripturæ authenticæ* in dicto Decreto Tridentini nomine *authenticæ Documentis* veniat? videtur negandum ex eo, quia Concilium notanter non fuit usum verbo *instrumenti*, sed *documenti*, at nomine *documentis* qualibet probationes comprehensæ sunt, quibus de veritate docetur, ut videtur sentire Glossa in c. 1. de exception. in 6. V. *Documentum per tex.* ibi: *probare valeant apertissimis documentis*; sic Garcia p. 5. c. 9. n. 113. at dicendum in eo Decreto *documentum* non accipi generaliter pro qualibet probatione, docente veritatem, sed restrictè pro *authenticæ instrumento*, seu scriptura, cujus ratio est; quia si verbum *documentum*, sumeretur generaliter pro qualibet probatione, nullum haberent effectum distinctum reliqua verba, quibus exponit Concilium alios modos probandi Patronatum per *multiplicatas præsentationes*, &c. sed admitti non potest, hæc verba nihil operari, seu non habere distinctum effectum, ergo.

3330 **A**ltera quæstio est, qualiter privati *multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum*, qui excedat hominum memoriam rectè probent Patronatum sibi competere titulo fundationis, constructionis, vel dotationis Ecclesiæ? In hoc enim dubitari potest 1. quod præsentationes factas probare debeant, ut verificetur verbum: *multiplicatis præsentationibus*? 2. ut verificetur tempus *immemorabile*? ad 1. censent aliqui verificari ea verba, si probent factas præsentationes saltem duas, quia *multiplex* verificatur etiam duobus; ita Riccius in praxi, resol. 127. Barbof. p. 3. alleg. 72. n. 31. Sed requiri plures ex mente Concilii, probabilius est; quia Concilium non petit *multiplicatas præsentationes* utcuque (hoc enim verificari posset per præsentationes etiam plures intra 4. vel 6. annos, si intra hoc tempus beneficiati obiissent) sed exigit, ut multiplicata sit *cum ea quantitate temporis*, quæ hominum memoriam excedat; quæ quantitas ex communi sensu centenaria est; in tanto autem tempore vix contingit, quod præsentatio tantum semel,

femel, vel bis facta sit; videtur ergo rectius exigi, factas esse plures, quam tantum duas; Sic Menoch. de arbitr. casu 2. Farinac. in praxi crim. q. 47. n. 112. & alii.

3331 Ad 2. R. ut illud *immemoriale* probetur, non requiri, quod in eius probatione per scripturam v. g. in ea fiat mentio tituli (Foundationis, Constructionis &c.) ex quo fecerint multiplicatas presentationes; nam ex immemoriali tempore praesumitur; nec etiam, quod probetur initium praesentationum; Sed solum *immemorialitas*, seu quod non sit memoria in contrarium; unde si per scripturas probari possit per centum, & plures annos praesentationes constanter factas à talibus privatis, indirectè saltem sufficienter probata erit immemorialitas; nam sic saltem tacitè innuitur non esse memoriam in contrarium; qualiter censetur probata, si testes, saltem quadragenarii deponant, à tempore quo ipsi vivunt, usque ad tempus motæ litis, continuatas esse praesentationes ab istis, insuperque à suis majoribus se accepisse, etiam anteceder sic ab iisdem practicum esse, modo non constet principium fuisse vitiosum, & usum illum, & exercitium praesentandi nullo titulo; ubi enim constaret de nullitate tituli, cadit praesumptio instituendi etiam pro temporis immemorialitate. V. Covar. ad reg. possessor. p. 2. §. 3. n. 7. & alii apud Barbol. in Trid. Sess. 25. de Reform. c. 9. n. 16.

§. 2.

De Probatione per alia media secundum juris dispositionem.

3332 Post primum modum, quo privati probare possunt titulum Patronatus ex foundatione, constructione vel dotatione Ecclesiae, qui fit per authenticum documentum, ut exposuimus §. praeced. subjungit Concilium hæc verba: *Et aliis de jure requisitis ostendi*; quo innuitur, à privatis (prout nimirum privatus quis dicitur relatè ad Magnates, & Communitates, ut colligitur ex textu in n. 3325.) titulum Patronatus ex illis tribus capitibus, vel uno eorum sibi competentem, probari posse etiam

omnibus illis modis, quibus alias probatio recipitur à jure. Multis igitur modis probatio à personis privatis, & in quas usurpationis praesumptio non cadit, probari potest ille titulus; cum, ut ostendunt citata Concilii verba, in illis quoad hujusmodi probationem nihil alteraverit, ut tradit Barbof. cit. n. 21. cum aliis affirmantibus, id sæpius à Rota dictum esse.

In jure autem probatio tituli sibi 3333 competentis ad aliquem actum sufficiens foret fama concurrente longissima possessione; nam talem probationem auctores communitet censent æquivalere probationi immemoriali, quæ titulum infert, ex c. *super quibusdam* de verbor. significat. l. *hoc jure §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & astiva*. Sic Felin. in c. *causam col. 3. de praescription. Covarr. reg. possessor. mala fidei 2. p. §. 10. n. 2. fine*. Ubi tamen nota, etsi necesse sit famam esse probatam, non tamen requiri, quod testes deponentes de fama, deponant ex dotatione, aut foundatione tibi competere; sufficit, si deponat Jus Patronatus tibi competere ex foundatione, vel dotatione, quia in dubio sic est praesumendum, ne Patronatus pereat & praesentationes irritæ sint juxta Trid. auferent omnes Patronatus aliâ viâ acquisitos.

Deinde probatur titulus Patronatus 3334 probatâ praescriptione quadragenaria cum titulo colorato, hoc est, qui justam praescriptionis causam concedere possit; ratio est; quia hæc probatio æquivaleret immemoriali, ut probat textus in c. 1. junct. Gloss. V. *legitimè*: de praescript. in 6. & c. *cum persona*. §. *quod si tales*. de privileg. lib. 6. Tertio probatur inscriptione lapidi publice posito, continente assertionem Juris Patronatus tali competentis; non enim id permetterent Ministri Ecclesiae, si veritate inscriptio destitueretur; sic Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. resol. 175. n. 3. *fine*. Mascardus, de probat. concl. 105. n. 10. Sic etiam arma, & insignia alicujus familiae in aliqua capella, ab antiquo tempore posita, sufficienter denotant, eam non esse liberam, sed juri Patronatus subjectam; sic Castropal. tom. 2. ff. 13. D. 2. p. 3. n. 6.

Dubi-

3334 Dubitari posset an privatus sufficienter probaret jus patronatus sibi competere si ad hoc produceret literas Episcopi, quibus iste testaretur, institutionem Clerici in tali beneficio à se factam esse ad illius presentationem? Ratio dubitandi est, quod Concilium exigat *multiplicatas presentationes*; ergo non videtur sufficere attestatio *de una tantum*; e contra, si Ordinarius testetur beneficium jure patronatus alicui competere, tacite innuit titulum habere; quia non est credendum Ordinarium sic beneficium concessurum, nisi sibi de titulo, & jure probato constaret, cum talis provisio sibi, & successoribus damnosa sit; sic Flamin. *de resignat. l. 8. q. 11. n. 38.* & *Barbos. de offic. & potest. Episcopi q. 3. alleg. 72. a num. 47.* in hoc dicendum, si litera testarentur sic esse factum quadragenario tempore, sufficienter probatum fore jus patronatus ex prescriptione completa, pro qua sufficit titulus etiam coloratus, modo intra id tempus effectum habuerint presentationes, si plures factae sint; aut praesentatus per 40. annos beneficium administraverit ad unam tantum presentationem à Patrono factam super hoc nunquam inquietato.

Et quoniam non est credendum, sine sufficienti fundamento, Visitatores declaratos fore in favorem patronatus, (cum in hoc agatur de gravi praesudicio Ordinariorum) quod supra dictum est de institutione; valde rationabiliter etiam dicitur, si privatus (cui onus probandi titulum patronatus incumbit) produceret libros multiplicatae visitationis, ubi semper habitum est tale beneficium illius patronatus subiectum, aut mota illi lite supra Patronatu coram Ordinario, is in ipsius favorem sententiam tulit, procedentem ex testium depositione, saltem in casu sententiae ante annos 40. latae, nec inquietatae.

§. 3.

De probatione Patronatus ex Usurpatione.

3335 **V**T in ordine ad Patronatum obtentum recte probetur verus titulus (nimirum non directe probando titulum fundationis, constructionis, vel donationis, sed solum ex immemoriali tempore) juxta Tridentinum relatum *num. 3325.* requiritur

Tom. III.

plenior, & exactior probatio; unde non sufficit sola probatio temporis immemorialis, sed praeter alia, ad eam requisita authentica scripturis probanda etiam sunt presentationes etiam continuatae, non minori, quam quinquaginta annorum spatium, & quidem omnes effectum sortita, ita Concilium relatum n. id cit. quibus positus:

Not. 1. hunc modum, ex immemoriali 3336 tempore probandi verum titulum patronatus, in isto casu à Concilio statui, tanquam formam sic, ut ea non plene, & exacte servata, probatio nulla sit. Not. 2. hanc probationem non exigi nisi in iis personis, in quibus jus Patronatus ex usurpatione plerumque praesumitur; ista autem persona (prout censuit sacra Concilii Congregatio) sunt Duces, Marchiones, Comites, aliique Domini Civitatum, locorum, Castrorum, perpetuam jurisdictionem in vassallos habentes, ubi beneficium fundatum est, tametsi ipsi superiorem recognoscant; sic Aloysius Riecius in praxi, *resol. 132. n. 1. Barbos. p. 2. alleg. 72. num. 65.* quibus etiam accedunt omnes, quot quot veniunt nomine Magnatum; item Communitates, vel Universitates; cum in decreto Tridentini, & haec expressae sint, non tamen Capitulum Ecclesiae Cathedralis, ut testatur, decisum à Rota, Gonzalez *ad regul. Mensium. gloss. 18. n. 55.*

Circa istum probandi modum dubita- 3337 tur 1. an ad probandam *usurpationem immemorialem*, vel per tempus praescriptum continuatas presentationes semper cum effectu secuto, sint idonei testes subditium Magnatum, vel Communitatum? Negativam sequitur Gonzalez cit. & Garcia *p. 5. de benefic. c. 9. num. 102.* & alii; rationem dant, quia praesumuntur corrumperendi propter eorum potentiam. Haec tamen praesumptio videtur recte elidi ex praesumptione, quod si beneficiorum collator esset aequalis, vel majoris potentiae, quam sint illae personae, in quibus praesumitur usurpatione, non admisset in suum praesudicium eorum presentationes, si in eis non agnovisset verum titulum; & ideo Rota apud Farinac. *tom. 2. decis. 578.* istam praesumptionem secuta, ab usurpatione excusavit Duces de Bejar, volens, cum dicitur de istis magnatibus, praesumi jura Ecclesiae usurpata, procedere, ubi non datur

Ecc ee

con-

concurfus potentia, & authoritatis in Rectore Ecclesiæ; scilicet, si Rectori Ecclesiæ sit aqualis, vel major aucthoritas, quo stante non intrat dispositio Concilii *sess. 25. c. 9.*

3338 Dubitatur 2. an ad hanc probationem sufficiat, probasse præsentationes primas, & postremas intra spatium 50. annorum? videtur affirmandum ex eo, quia, ut notat Tiraquellus *de præsumpt. Gloss. 5. §. 1.* probatis extremis probata etiam præsumi media: sed cum Concilium exigat *veram* probationem præsentationum continuatarum, dicendum est negativè; nam ex illa Tiraqueli doctrina continuatio præsentationum probatur solum *præsumptivè*; non autem, *verè*; ita Riccius *cit. resol. 133. Barbosa cit. an. 54. & alii.*

3339 Dubitatur 3. an sufficiat, probatas esse præsentationes, *esse continuatas?* R. quod non; Sed requiri præterea, etiam probatum esse, illas *sortitas effectum*, hoc est, ex vicarum præsentatum esse institutum, & accepisse beneficii possessionem iuxta c. *Cumana, de elect. ratio sumitur ex ipso decreto Concilii, ibi: nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragatur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quam 50. annorum spatio* (quæ omnes effectum sortitæ sint) *authenticis scripturis probentur*; sic Garcia *p. 5. c. 5. n. 109. & c. 9. n. 105. Barbof. cit. alleg. 72. à num. 56. & alii.*

3340 Dubitatur 4. an opus sit authenticis scripturis probare, præsentationes *omnes* esse effectum sortitas? R. quod sic; nam Concilium petit probari per authenticas scripturas, non tantum factas præsentationes utrunque, sed cum expressis qualitatibus; expressæ autem sunt istæ; quod continuatæ, ac *omnes* effectum sortitæ; ergo & hæ probandæ sunt per authenticas scripturas, & ita tradit Castropalaus *tom. 2. tr. 13. D. 2. p. 3. n. 9.* cum Gonzalez. *cit. gloss. 18. n. 82. Barbof. cit. n. 60.* contra Garciam *p. 5. c. 9. n. 105.* cujus ulterior ratio est, quia si una etiam non esset effectum sortita, non fuissent *continuatae*; præsentationes enim *continuari* non possunt, nisi ad vacationem unius præsentationis alius præsentetur, ac instituatur, & continuatio per authenticas scripturas probanda est ex præcedentibus: ergo.

Dubitatur 5. an probatio de factis præsentationibus, quæ fit solum per depositiones testium, saltem in aliquo casu admitti possit? R. probabiliter affirmari in casu, quo testes ad hanc depositionem admittendi essent homines literarum periti (ut sunt Doctores, Advocati, Tabelliones, Notarii publici) & deponerent de amissione scripturæ authenticæ, & contentis in illa, habentis debitam scripturæ authenticæ formam nec laborantis ullo vitio, quia tali casu non tam fieret probatio ex vi depositionum, sed per ipsam scripturam per depositiones in iudicio exhibitam; sic Garcia *cit. p. 5. de benefic. c. 9. n. 113. arg. c. cum olim. elig. 1. de privileg. c. sicut, de re judicat. L. Testium. C. de testibus.*

Præter hæc not. 1. cum probandæ sunt continuatæ præsentationes per spatium 50. annorum, annos esse numerandos ab illa prima præsentatione, quæ sortita est effectum, nam aliàs non probatur *continuatio*; deinde præsentationes sic continuatas esse usque ad præsens tempus mota litis, 2. si nunc moveretur lis, & præstandæ forent probationes ex tempore immemoriali, non venire tempus ante Concilium, sed decursum usque ad controversiam, ita Gonzalez *cit. gloss. 18. an. 89.* tertio non amplius esse opus illa rigorosa probatione, mota rursus lite, postquam probatio semel facta est, & præsenratus exinde admissus est ab Ordinario, quia tunc Patronus suam intentionem in iudicio possessorio habet fundatam: 4. hanc plenam, & exactam probationem Patronatus non exigi, si jus patronatus probandum sit, non adversus Ecclesiam, qua quis eam contendit sibi esse subjectam, sed adversus alium Patronum, nam Concilium in eo decreto, quo illam probationem requirit, non agit de casu, & controversia, quo Ecclesiam relinquit subjectam, & solum controversit, de termino, cui subjecta sit ex pluribus litigantibus, sic Barbofa *cit. à num. 67. & alii.*

Not. 5. per Trid. *sess. 25. de Reform. c. 9.* omnes Patronatus alicui, *ex privilegio* competentes, omnino sublatos esse, iis duntaxat exceptis, qui sunt super Cathedralibus Ecclesiis, ac qui sublimibus, supremis Principibus sunt concessi, licet in privilegio sit expressum, ut tale jus habeant ejus naturæ, qualitatis, & prærogativæ acii

acsi competeret ex vero titulo fundationis. &c. Nam per hanc clausulam non habet aliud, quam quod sit ex privilegio tale; & sic sepius declaratum esse à Sacra Congreg. refert Garcia p. 7. de beneficio c. 9. a n. 17. Hæc tamen intellige, si competat ex

privilegio *merè gratuito*; secus, *oneroso*; huic enim per clausulam generalem non derogatur ex dict. alibi, præsertim, cum talis causa, vel titulus onerosus æquiparetur dotationi, vel fundationi sic Castropal. cit. n. 13. & alii.

QVÆSTIO XXXIX.

IN TIT. XXXIX. DE CENSIBUS, EXACTIONIBVS, ET PROCVRATIONIBVS.

3344 **H**oc titulo jus Canonicum continuar agere de servitutibus, seu oneribus Ecclesiæ imponi solitis; postquam enim egit de jure patronatus (quod est quædam servitus; cum eo titulo Ecclesiæ certis hominibus subji- ciatur ad recipiendum Clericum ex præsentatione Patroni, quæ cæteroquin libera foret) agit nunc de Censibus, Exactionibus, & Procurationibus, quæ quandoque multum onerant Ecclesiæ, si immoderate illis imponantur; quibus, ut summi Pontifices debite prospicerent, multa illis oportuna remedia constituerunt, de quibus in seqq. Accedit & altera ratio hujus ordinis; nam ex hoc, quod Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ, in ejus fundatione, vel donatione, ab initio sibi autoritate Episcopi, reservare soleat certos redditus annuos, & census moderatos, agitur hic de censibus aliisque præstationibus, & tributis.

ARTICULUS I.

De Censibus.

3345 **C**ensus, generaliter acceptus, significat, quid quid annuatim penditur; strictè verò, ac specificè hic significat onus reale, impositum Ecclesiæ, vel locis piis solvendum, vel superioribus ut Episcopo in signum subjectionis, vel eorum Advocatis, ratione protectionis; solvitur quandoque in pecunia numerata, quandoque in re alia, secundum quod in principio constitutum est c. olim. 20. h. t. Ex hoc colliges, quod ex solutione census non resultat, ac determinatè concludatur *subjectio*;

Tom. III.

cum fieri possit alio titulo v.g. protectionis, exemptionis &c. arg. c. *Præcipimus* 8. de privil. ubi dicitur, per solutionem census, quæ sit Romanæ Ecclesiæ, non probari exemptionem à jurisdictione Episcoporum, nisi aliunde colligatur, fieri titulo subjectionis; quo sensu accipiendum est c. 2. h. t. ubi habetur, quod *prestare tributis* sit probatio subjectionis, quæ nimirum exhibent Ecclesiæ suo prælato, quamvis 40. annis contra hoc jus Episcopale præscribere possint. *Abb. inc. 20. & pen. h. t.*

Not. autem 1. censum, solito majorem, non debere imponi Ecclesiis; nec antiquum augeri, ut dicitur c. 3. & 7. h. t. Cum enim quidam Presbyter (hic Episcopum intelligi rectè probat Panormitanus) Monasterio Massæ novas consuetudines vellet imponere, Abbate super hoc Gregorio Pontifici conquerente; iste rescriptit, mandando: *quatenus, si ab initio hoc non fuerit, etiam labentibus temporibus aliquid noviter imponi, non permittas.* Constat hoc ipsum ex *Concil. Lateran. relato c. 7. h. t. ibi: prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatibus novi census imponantur Ecclesiis; nec veteres auquantur; nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant; sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent; Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur;* Sed de hoc plura in seqq.

Not. 2. in novi census impositionem, quæ fieret Ecclesiis, horum Rectores con-

Ecc ee a

ica.